

TRACTATVS
DE DVELLO,

In quo quicquid ab vtroque iure, à Sacro Concilio Tridentino, à Summis Pontificibus de Duello sancitum est,

Præcipuè vero Constitutio Clementis VIII. Pont. Maximi accuratissimè explicatur. Legum Ciuilium, sacrorumq; Canonum studiosis, & Confessarijs perutilis.

Auctore
ALEXANDRO PEREGRINO CAPVANO,
ex Religione Clericorum Regularium
Theatinorum.

Denuo impressus, & ab eodem Auctore quæ obscura videbantur explicata, & perbreuia aucta.



MEDIOLANI,
Apud hær. Pacifici Pontij, & Ioannem Baptistam Piccaleum Impressores Archiepiscopales. M. DC. XIX.


Imprimatur.

Frater Aloysius Bariola pro Reuerendissimo Inquisitore.

Io. Paulus de Clericis Archipresbiter & Canonicus in S. Nazario, pro Illustrissimo, & Reuerendissimo D.D. Cardinale Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentissimo Senatu.


REGI PACIFICO
CHRISTO DOMINO.




N, quod ad sanctissimas pacis leges tutandas opusculum nuper conscripseram tuis sub auspicijs lucem aspicit, Rex pacifice; Tuos ad pedes accedit tibi dicatum, sacratũ, neque alteri debitum. Ipsum enim in duellum libellus, tu ad lites componendas, bellaque fuganda verus Irenarches è cœlo missus. Tuus igitur præco est ad amorem, non ad cruorem; ad beneficia, non ad conuicia; in arma, non ad arma clamans. At sæua hominum corda vindictæ cupida, furorem spirantia fortasse nec audient, nec obaudient. Tuum igitur, aures eis ad tua iura suscipienda adaperire, vt ciuilium iurgiorum tumultu sedato, tartareis solùm cum hostibus bellum gerant, à quo agone non reuocas, ad quem vocas in quo vires tribuis pugnantibus, coronas triumphantibus, in quorum numerum meritua pietate referri, & vehementissimè cupio, & enixè rogo.

AD LECTOREM.

HOC te vestibulo præmoneo, Lector, trifariam reperiri abs te in hoc libro quicquid libuerit, posse. Primò, si expositionem textus Constitutionis Clementis VIII. quam initio operis posui, euolues. In ea enim omnes propemodum Quæstiones à me tractatæ breuiter significantur. Secundò, si Compendium quod est ad calcem Quæstionum, vel indicem compendij, qui post cæteros indices ponitur, adibis. Tertiò, si Indicem præcipuarum rerum Consules. Præterea, vt tuis commodis cumulatè satisfieret, subtexere visum est tum Sacri Concilij Tridentini de Duello Decretum, tum etiam alias omnes Pontificias, quas vocant Bullas, de hac re hactenus editas. Horum volui nescius ne esses, Lector. Nos interim nostros hos labores, quales quales illi sint, S. R. E. iudicio atque censuræ submittimus.






PERILLVSTRI D.

D. MARCO ANTONIO DE MONTE I. C.

Ex Collegio Doctorum Mediolani.



Io. Baptista Piccalea P. S.


QVAE res solicitum me diù tenuit, vt aliquod haberes specimen obseruãtiæ erga te meæ Marce Antoni, iam occasione oblata demonstrauit, qui possem vel curam ex animo tollere, vel demere parcem. Vrgebar equidem non vnius stimulo tituli. Aui tui duratura in eũ omne memoria succurebat, quẽ Senatorius ordo non parcius desiderauit defunctum, quam profusè coluit sospito, cuius integerrima mens æque accepta bonis, ac prauis infen-

sa

ſa fuit ; Non diſsimilis Auo filius accedebat, genitor idem tuus, in Magiſtratu grande decus,vt ex eius voluntate plurimorum conſilia pendeant, & regantur, cui vitam longioribus, felicibuſque cumulatam annis patria deprecatur. Sed nec Auo tantum, nec Patre tribuerem (abſit dicto inuidia) vt apertè non profitear tuo me præcipuè nomine commotum, quo veteris obſeruantiæ argumentum proferrem. Videlicet in domo tua,& familia, quæ Iuſtitiam ſemper, & Palladem mirificè coluit, & ab vtraque ſegetem traxit, vberrimam laudis, communi voce prædicans ſumma gloriæ; nec immerito; qualem enim ſperamus meſſem in maturitate ætatis, ſi herbeſcentis fructus, & Aui, & Patris præſtantiam vocat in certamen, & dubium? Hoc tibi perennes vigiliæ, hoc labor in litteris aſsiduus, hoc ingenij acumen, & dotes animi pepercere, vt iam ex glorioſo nomine tuarum virtutum, ad ſpem maximum ſignum extollamus. His adductus, & honore, quo familiam tuam proſequor in paucis, tractatum de Duello, denuo prodeuntem in lu-

cem

cem, ſplendori tuo iugiter creſcenti ſtatui conſecrare; exiguum erit ſignum ingentis obſeruantiæ, quæ ſummos honores, & ſpecioſa quæque decora tibi, tuiſque lubens ominatur, quos vtinam ætate neſtorea diuina clementia perennet:



D. Andreas Piscara Castaldus Congregationis Clericorum Regularium Praepositus Generalis.

FAcultatem concedimus vt Tractatus de Duello à P. D. Alexandro Peregrino e Congregatione nostra compositus, & anno 1614. Venetijs à Petro Dusinello impressus, denuo imprimatur cum additione eiusdem Auctoris, quam vidit Sacrae Theologiae Lector nostrae Congregationis, & vt Tipis mandetur dignam iudicauit. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romae apud Sanctum Siluestrum in Monte Quirinali die 11. Mensis Iunij 1616.


D. Andreas Praepositus Generalis.

Locus sigilli.

D. Angelus Maria Secret.

INDEX QVÆSTIONVM,

ET EORVM QVÆ IN HOC TRACTATV CONTINENTVR.





præ-

tra actiones prohibitas per præsentem Constitutionem?

Quæstio XVIII. fol. 132.

Prouocantes ad duellum, & acceptantes in rixa, & calore iracundiæ, quæritur, an incidant in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes statutas secuto, vel non secuto duello?

Quæstio XIX. fol. 137.

Duo in actu duellum committunt, casu verò Titius ibi occurrit, & videns, quòd duellantium vnus erat suus amicus, vel consanguineus, naturali affectu motus ensem euaginat, & amicũ, vel cõsanguineũ adiuuat: Quęritur, an incidat in pęnam excõmunicationis, & in alias pęnas contra duellantes, & adiuuantes inflictas.

Quæstio XX. fol. 138.

Quæritur, an prouocantes ad duellum publicum siue solemne, vel priuatũ nullo statuto tempore, vel loco ad pugnandum, incidant in pęnam excommunicationis, & alias pęnas cõtra duellantes, vel prouocantes ad duellum inflictas?

Quæstio XXI. fol. 142.

Quæritur, an acceptantes prouocationem ad duellum sint excommunicati, & incurrant in alias pœnas contra prouocantes inflictas ipso facto, etiam non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo.

Quæstio XXII. fol. 145.

Prouocantes ad duellum non verbis, sed factis quæritur, an incurrant pęnas in hac Constitutione positas.

Quæstio XXIII. fol. 147.

Petrus offert duellum Titio, & eodem tempore, quo offert duellum, euaginat ensem, & aggreditur illum, vnde cogitur Titius similiter euaginare ensem, & pugnare, Quæritur, an Titius incidat in excommunicationẽ, & alias pœnas huius Constitut.

Quæstio XXIV. fol. 149.

Titius prouocauit Sempronium ad duellum non animo veniendi ad pugnam; sed tantum vt vir fortis, & animosus appareret, & alteri verecundiam inferret; Quæritur, an inciderit in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas?

Quæstio XXV. fol. 154.

Titius prouocatus à Sempronio ad duellum committendum, illud acceptauit, & pugnare intendebat: à Petro suo fratre fuit dissuasus, vt pugnam committeret: tamen quia à suo proposito non potuit Titium reuocare, loricam ipsi donauit, vel cõmodauit, vt melius ille posset se ab aduersario defendere: Quæritur, an inciderit Petrus in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes, & auxilium præstantes inflictas?

Quæstio XXVI. fol. 155.

Ad aures Pamphili peruenit Titium male de se locutum fuisse, vnde vnà cum socijs illum adiuit dicens eum mentiri si dixisset, quòd sibi relatum fuerat, & manum ensi apposuit: sed cum Titius negasset vnquam de eo male locutum fuisse, ipse Pamphylus acquieuit; Quæritur nunc, an Pãphylus vnà cum socijs inciderit in excommunicationem, & alias pęnas

✠ 2 huius

huius Constitutionis?

Quæstio XXVII. *fol.* 157.

Fidem faciens, vel narrans aliquod factum, quod materiam, & occasionẽ præbeat inimicitiæ, absque periculo duellandi, Quæritur, an incurrat pęnam excommunicationis, & alias pœnas præsentis Cõstitutionis Clemen. VIII.

Quæstio XXVIII. *fol.* 158.

Audientes narrationes, declarationes vel testificationes, quæ in scriptis, vel sine scriptura fieri solent, in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet, sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ tuendæ, aut lædendæ: Quæritur, nunquid incidant in pęnam excommunicationis, & alias pęnas, sicut ipsi narrantes, declarantes, vel testificantes incidunt?

Quæstio XXIX. *fol.* 160.

Titius dedit auxilium Sempronio ad duellum committendum, vel ad prouocandum ad duellum; postea emendans se tempore, quo res erat integra, idest, antequam Sempronius pugnaret in duello, vel antequam prouocaret ad duellum, sustulit auxiliũ: Quæritur an Titius inciderit in excommunicationem, & in alias pœnas contra duellantes inflictas, si nõ obstante remotione auxilij secutum est duellum, vel secuta est prouocatio ad duellum?

Quæstio XXX. *fol.* 164.

Cæsar mandauit Caio, vt duellum cõmitteret cũ Seio, vel prouocaret Seium ad duellum, sed postea antequã duellum esset commissum, vel prouocatio esset facta, pœnitentia se dedisse hoc mandatum, & contritionem habens de peccato, commissam diligentiam adhibuit ad reuocandum mandatum, & impediendum duellum, vel prouocationem ad illud: tamen diligentia nihil profuit, quia non potuit reuocare mandatum, sed secutum est duellum, vel secuta est prouocatio ad duellum. Quæritur nunc, an Cęsar sit excommunicatus, & inciderit in pœnas contra mandantes inflictas?

Quæstio XXXI. *fol.* 166.

Sempronius ratam habuit prouocationem ad duellum à Titio eius nomine (absque tamen suo mandato) Gaio factam: Quæritur, an inciderit Sempronius in pęnam excommunicationis, & alias pęnas contra duellantes inflictas?

Quæstio XXXII. *fol.* 170.

Si consilium, vel mandatum datum in causa duelli non sit efficax, Quæritur an consulens, vel mandans incidat in excommunicationem, & alias pęnas contra duellantes inflictas?

Quæstio XXXIII. *fol.* 173.

Titius consuluit Sempronio, vt prouocatorium libellum, qui cartellus dicitur, affigeret contra Seium: postea re integra multis rationibus dissuasit dicto Sempronio, ne aliquo pacto affigeret; Quæritur, si Sempronius hac dissuasione non obstante affigat Cartellum, an Titius incurrat pęnam excommunicationis, & alias pœnas cõtra duellantes inflictas?

Quæstio XXXIV. fol. 175.

Vendentes arma duellantibus, quæritur an incidant in excommunicationem.

nem, & alias pœnas contra duellantes inflictas.

Quæstio XXXV. fol. 176.

De industria, & ex composito spectatores nunquid erunt excommunicati, & incurrent pœnas contra duellantes inflictas non secuta pugna, nec actu ad pugnam proximo.

Quæstio XXXVI. *fol.* 178.

Quibus pęnis afficiantur Ciuitates, Terræ, castra, & alia loca, in quorum territorijs duellum est commissum.

Quæstio XXXVII. *fol.* 183.

Qui possint absoluere ab ista excommunicatione contra duellantes lata, & interdictum relaxare extra mortis articulum.

Primò, in foro exteriori. fol. 184. num. 1. In foro verò conscientiæ, Primò, quando casus est occultus, An possit Episcopus per potestatem sibi concessam à Concil. Trid. sess. 24 cap. 6. sub decreto de Reformatione quoscunque delinquẽtes sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientiæ absoluere. fol. 186. à num. 2. vsque ad 6.

Secundò, quando excõmunicatio causa duelli est publica, & ipse excommunicatus est impeditus, quominùs sedem Apostolicam adire possit, An proprius Episcopus poterit eum absoluere. fol. 185. à num. 6. vsque ad n. 12.

Quæ sunt supradicta legitima impedimenta. fol. 190. nu. 12.

Tertiò, Regulares priuilegiati à sede Apostolica, vt possint absoluere à quibuscunque peccatis, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ, exceptis à reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, An possint absoluere à casibus, & censuris comprehensis in præsenti Constitutione. fol. 192. à num. 13. vsque ad numero 16.

Quartò, An priuilegiati (eodem pacto, quo Regulares) qui non sunt Regulares possint absoluere? fol. 192. à n. 16. vsque ad finem quæstionis.

Quæstio XXXVIII. *fol.* 197.

Cùm per Decretum Clemen. VIII. felicis memoriæ Romæ publicatum die 26. mensis Nouẽbris anni 1602. prohibitum sit Confessarijs etiam priuilegiatis, qui facultatem habent absoluendi à casibus, & censuris sedi Apostolicæ reseruatis, ne possint absoluere à casibus Prouocantium, & Pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Triden. & Constitutionis Gregorij XIII. quæ incipit Ad tollendum. Quæritur, quomodo sunt intelligenda illa verba, Prouocantium, & Pugnantium & c. adhoc, vt casus sit reseruatus virtute dicti Decreti.

Quæstio XXXIX. *fol.* 201.

Ad quam restitutionem teneatur in foro conscientię, qui descendunt ad singulare certamen, si alter alterum lædat, vel occidat?

Quæstio XXXX. fol. 204.

Occidens in duello teneatur, necnè in foro conscientiæ soluere creditoribus debita, quæ occisus viuens soluisset; illo autem occiso non habeant creditores; vnde pecuniam creditam recipiant?

Quæstio XXXXI. fol. 211

Duo nempe Pamphylus, & Titius ex condicto mutuo se prouocant ad duellum statuto loco, & tempore, & Pamphylus vadit ad locum determinatum tempore præfixo, & ibi expectat Titium ad pugnam per spa-

tium temporis iuxta morem duellantium, qui cum non comparuisset loco, & tempore præfixo, Pamphylus discessit, Quæritur nunc, an Pamphylus inciderit in excommunica-

tionem iuxta Constitutionem Gregorium XIII. quæ incipit, Ad tollendam.

In compendium rediguntur, quæ in hoc opere continentur. 217

IVRA

IVRA QVAE DE DVELLO TRACTANT EO ORDINE

Quo condita fuerunt.

I*N iure ciuili. l. vnica. C. de gladiatoribus. lib. 11.*
In iure Canonico. c. monomachiam. 2. q. 4.
Tit. de Torneamentis.
Tit. de Clericis pugnantibus in duello.
Tit. de purgatione vulgari.

In Bullario, Iulius II. in Bulla, quæ incipit; Regis pacifici: quæ est nona in Bullario.

Leo X. in Bulla, quæ incipit, Quam Deo & hominibus, quæ est 29. in Bullario.

Clemens VII. in Bulla quæ incipit, Consueuit, quæ est XI. in Bullario.

Iulius III. in Bulla, quæ incipit, Cum sint, quæ est 56. in Bullario.

Pius IV. in Bulla, quæ incipit, Ea quæ, quæ est 25. in Bullario.

Decretum Concilij Trid. in sess. 25. cap. 19. de Reformatione.

Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit, Ad tollendum detestabilem, quæ est 82. in Bullario.

Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, Illius vices, quæ est præsens, quam exponimus, & complectitur omnes præcedentes.



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc tractatu continentur.

A



B

C

D

Duelli

E


F


Finis

P

Pro-

Testan-





INDEX

COMPENDII

IN QVO DISTINCTIVS

Notantur personæ contrauenientes, pœnæ, quibus afficiuntur, & quando illas incurrant.

Con-

IESVS CHRISTVS FECIT PACEM,
Et reconciliauit ambos in vno corpore
Deo per Crucẽ interficiens inimicitias in semetipso. *Ephes.2.*

TRACTATVS DE DVELLO, PRÆMISSA.

SVMMARIVM.

Duellum vnde dicatur, & vnde Monomachia. nu. 1.
Duellum quotupliciter sumi possit. nu. 2.
Duellum propriè sumptum diuersis finibus fieri solebat. nu. 3.
Quæ in duellis occurrere solent, quot modis esse possint. nu. 4.
Quot sint species duelli. nu. 5.
Quid sit Prouocatio, quæ vulgò dicitur Diffidatio. nu. 6.

Omnipotentis Dei, ac Beatissimæ Virginis Mariæ suffragio inuocato, Pro faciliori intelligentia dicendorum.

PRÆMITTO primò, quod Duellum est quasi duorum bellum, quod etiam in iure dicitur Monomachia, c. Monomachiam. 2.q.4. quasi vnica, & singularis pugna; à monos, idest vnus, & machia, id est pugna. ita docet Turrecremata in c. Monomachiam. 2.q.4.nu.4. Io. de Anan. in Rubr. num. 1. de Cleric. pugn. in duello. Graffius in sua practica casuum reseruatorum, cap. 7. de Prouocantibus, & Pugnantibus in duello. nu. 4. & Syl. in verbo Duellum. nu. 1. 1

Præmitto secundò, quod Duellum dupliciter sumi poest, largè & propriè. Duellum largè sumptum est singularis pugna ab vtraque parte sponte suscepta, siue sit cum periculo occisionis, vel vulneris, vel mutilationis membri, siue non; vt docet Michael Salon in 2.2. D. Tho. q. 64. art. 3. controu. 3. in principio. & Syl. in verb. Duellum. q. 1. num. 2. Et hoc modo non accipitur in hac Extrauagante. 2

Duellum verò propriè sumptum est singularis pugna ab vtraque parte sponte, & ex condicto suscepta, cum periculo occisionis, vel mutilationis membri, vel vulneris: & ita accipitur in hac Extrauagante. ita Salon vbi supra, & Syl. vbi supra in fine numeri 2.

3 Præmitto tertiò, quod Duellum propriè sumptum solebat diuersis finibus fieri.

Primò, Ad probationem veritatis, vt Deus illo medio ostenderet veritatem, & sumeret vltionem de aliquo, qui falsum asserebat, ita vt qui vincebat probasse intelligebatur, ac si per testes intentionem suam fundasset, & qui non vincebat defecisse in probatione putabatur, vt in c. 2. de purgatione vulgari, & docet Gregorius de Valentia in 3. tomo disp. 3. q. 17. puncto 1. versic. Nec tertio. Gregorius Sayrus in libro 7. Clauis Regiæ cap. 13. nu. 13. & ante eos Caietanus in 2. 2. D. Tho. q. 95. artic. 8. in resp. ad tertium. Et duellum ita factum illicitum est, quia illud est tentare Deum, sicut tentaretur per iudicium aquæ feruentis, vel ferri candentis. Esset enim petere miraculum, vt ostenderetur veritas, quod illicitum est, vt docet D. Thom. in 2. 2. q. 95. art. 8. in responsione ad tertium. & ibi Caiet. Deinde est contra rectam rationem, vt ad veritatem manifestandam sumatur tanquam medium id, quod verè non est aptũ mediũ ad illum finem, cùm accidere possit, vt succũbat in duello is, qui iustam causam habeat, vt patet in d. c. 2. de Purgatione vulgari, & docent Doct. supra allegati.

Secundò fieri solebat duellum ad terminandum litem ciuilem, vel criminalem, vt docet Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ, cap. 13. nu. 14. & alij, quos ipse refert, & Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 3. q. 17. puncto 1. versi. Nec quarto &c. qui modus terminandi lites improbatus est, cùm non sit aptus, eò quòd iustitia causæ semper periculo exponitur. Deinde est contra rationem velle propriam vitam, vel alterius, periculo exponere pro terminatione litis, cùm alia media non desint ad litem terminandam, vt conuentio partium, Iudicis sententia, &c. Ita docet Caiet. in 2. 2. D. Thom. q. 95. art. 8. quæst. vltima. versi. Quarta causa. Sayrus, & alij, quos ipse refert in lib. 7. cap. 13. Clauis Regiæ num. 14. & Gregorius de

Valentia tomo 3. disput. 3. q. 17. pun. 1. vers. Nec quartò, &c. contra Lyranum in c. 17. lib. 1. Regum.

Tertiò fieri solebat duellum ad ostentationem virium, vt in castris inter milites fieri solet, vt docet Caietan. in 2. 2. D. Thom. q. 95. art. 8. in respon. ad tertium, & Greg. de Valent. in tomo 3. disp. 3. q. 17. puncto 1. vers. Nec quintò. & Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ. cap. 13. num. 13. versic. Secunda causa est: Et qui hoc fine motus duellum committit, mortaliter peccat; quia insufficiens est ad duellum inducendum. Ná contra rectam rationem est committere se periculo mortis ad solam virium ostentationem. & hac de causa peccauit Golias 1. Reg. c. 17. prouocando Israel ad singulare certamen.

Excusatur verò Dauid acceptando, quia non ad vires suas ostentandas id fecit, sed Dei spiritu motus, & vt Deo obediret, vt docet Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ. cap. 13. num. 13. versic. Secunda causa est. & Greg. de Valent. tomo 3. disput. 3. quæst. 17. puncto 1. versic. Nec quintò &c. & Caiet. ante ipsos in 2. 2. D. Thom. q. 95. art. 8. in respons. ad tertium, vers. Secunda causa &c.

Quartò fieri solebat duellum ad ignominiam vitandam, & sic ad defensionem proprij honoris, vt docet Caiet. in 2. 2. D. Thom. q. 95. art. 8. in resp. ad tertium vers. Tertia causa &c. & Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ c. 13. num. 13. versic. Tertia causa &c. quia vilis (secundum vulgi opinionem) habebatur, si duellum non indixisset, vel indictum ab alio non esset acceptatum. Et hic finis similiter illicitus est, & expressè improbatus à Clemente VIII. in præsenti Constitutione. vers. Præterea pari ratione. &c. ibi, Sub prætextu proprij, vel alieni honoris &c. & ita expressè docet Caiet. in 2. 2. D. Thom. quæst. 95. art. 8. quæst. vlt. vers. Tertia causa. Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ. cap. 13. num. 13. versic. Tertia causa &c. & Gregorius de Valentia tomo 3. disput. 3. quæst. 17. puncto 1. versic. Nec secundo &c. & alij.

Præterea non solum non vitatur ignominia, & infamia indicendo duellum, vel indictum acceptando, sed potiùs infames sunt si duellum committant, vt patet in decreto Concilij Trid. sess. 25. c. 19. §. qui verò sub Decreto de Reformatio-

ne, & in Bulla Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. versic. Nos quorum est. &c. & latè demonstrat Lucas Floronus in Tract. de prohibitione duelli, cap. 5. nu. 6. à vers. Atqui non est, &c. vsq; ad num. 7. vers. Non obstat secundum, &c.

Nec obstat, quòd dici solet, quòd vilis, & de generis animi haberetur, si in eo casu non acceptaret duellum. nam licet apud vulgum plurimùm valere soleat hæc obiectio, apud sapientes tamen, & bonos viros non valet, nec honor amittitur. Nam si prouocatus ad duellum respondeat se quidem paratum esse ad se defendendum quotiescunque ab eo inuadatur, acceptare tamen illud ex condicto se nolle, cum id sit cōtra legem diuinam, & humanam; Hoc modo respondendo satis tuebitur honorem suum, vt docet Dominicus Bannes in 2. 2. D. Thom. q. 40. art. 1. in fi. Greg. Sayrus in lib. 7. Clauis Reg. c. 13. nu. 13. in fi. vers. Tertia causa &c. & Greg. de Valent. in tomo 3. disput. 3. q. 17. puncto 1.

Et Fabius Albergatus nobilis Bononiensis in suo tractatu inscripto, *Del modo di ridurre a pace l'inimicitie priuate*, lib. 4. c. 15. & 16. latè probat duellum non conuenire homini probo, nec militi, nec equiti.

Quintò fieri solebat duellum ad vindicandam iniuriam aliquam, vt docet Greg. de Valent. tomo 3. disp. 3. q. 17. pun. 1. versic. Tertiò probatur &c. qui finis est manifestè illicitus, & ratio est, quia munus iustitiæ vindicatiuæ spectat solùm ad authoritatem publicam, vt recte Greg. de Valent. vbi supra.

Sextò fieri solebat duellum spectaculi, & voluptatis caussa, vt docet Gregor. de Valent. tomo 3. disput. 3. cap. 17. puncto 1. versic. Nec sextò &c. Et duellum hoc fine factum est illicitum, cum sit medium nimis atrox ad finem tam parui momenti, & à lege vnica. C. de gladiatoribus est manifestè damnatum his verbis: *Cruenta spectacula in otio ciuili, & domestica quiete non placent. Quapropter omninò gladiatores esse prohibemus.*

Solebat etiam alijs finibus fieri duellum, sed vtrum quocunque fine fiat, sit à iure improbatum & damnatum, videbimus in 1. & 2. quæstione.

4 Præmitto quartò, quòd ea, quæ in duellis occurrere solent,

lent,

lent; aliqua sunt essentialia, aliqua verò accidentalia.

Essentialia sunt, quæ ita conueniunt duello, vt si aliquod ex illis deficeret, non esset duellum, & quibus positis duellum etiam ponitur, vt docet Panor. in cap.2. de translat. Episc.nu. 11. quæ sunt quatuor.

Primum est, vt sit pugna priuata, nam si esset communis, esset bellum, & non duellum, vt patet ex secunda parte præsentis Constitutionis, ex Constitutione Pij IV. quæ incipit, Ea quæ &c. ex c. Monomachia.2.q.4.

Secundum est, vt pugna sit spontè ex vtraque parte suscepta, vt patet ex definitione ipsius duelli, & ex tenore verborum huius constitutionis, ibi, inuitantes, prouocantes, acceptantes &c. & in Constitutione Pij IV. & ex 1. Reg. cap. 17. quia si coactè sit suscepta, putà quia aggressor pugnare intendit siue velit, siue nolit aggressus, tunc pugna dicitur potiùs defensio, quàm duellum ex parte prouocati; & ex parte prouocantis dicitur offensio.

Si verò voluntas coacta esset ex eo, quia Iudex vel extraneus minatur ei mortem, si non vult duellare cum N. tunc diceretur duellare, quia in hoc casu voluntas coacta voluntas est. c. Merito quæritur. 15. q. 1. l. si mulier. §. si metu. & ibi etiá glo. in verb. volui. ff. de eo quod metus causa. & potiùs debet mori, quàm dare operam rei illicitæ. Nec potest dici defensio, quia N. eum non offendit.

Tertium est, vt fiat ex condicto, id est data opera: nam si pugna esset indeliberata, non esset propriè duellum, sed rixa, quia non haberet qualitatem animi deliberati, quæ requiritur in duello. Hoc patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit Ad tollendum &c. §. authoritate &c. ibi, ex condicto: & ex præsenti Constitutione Clementis VIII. §. quinimo. ibi, Ex composito ineuntes, &c. & latè à nobis probabitur, quæst. 18. Et si data opera fieret ex vna parte, & non ex altera, esset proditio, vt patet ex tex. in l. aut qui aliter. §. si quis se denunciauerit. ff. quod vi, aut clam. & docet Bertachinus in suo repertorio in verb. Diffida.

Quartum essentiale est, vt duellum tendat ad mortem, vel ad mutilationem, vt patet ex Prohemio præsentis Constitu-

tionis, ibi, Interitus atque pernicies. &c. in versic. Inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratur &c. nam si pugna non est cruenta, non dicitur duellum.

Accidentalia duelli sunt in duplici differentia. nam quædã sunt veluti propria accidentia ex generali consuetudine duellãtium introducta, quædam verò communia.

Accidentia propria sunt. Primò, vt sit æqualitas inter duellãtes tam in armis, quàm in cæteris rebus ad duellum pertinentibus, vt docet Alciatus in tract. de duello. c. 6. nu. 1.

Secundò, vt electio loci, iudicum, & temporis ad pugnandũ sit in potestate, & arbitrio prouocantis, vel actoris, vt duellantes inquiunt, & est generalis consuetudo duellantium, de qua testatur Alciatus de duello. cap. 6. nu. 4.

Tertiò, vt electio armorum sit ad arbitrium rei, siue prouocati, vt similiter est generalis consuetudo duellantium, de quã testatur Alciatus in suo tracta. de duello, cap. 6. num. 4. Et ratio est, nam sicut actor de iure Romanorum, cùm contra aliquem vult agere in iudicio, ipse locum, & iudicem eligit, & reus arbitratu suo præscribit quascunque exceptiones: ita & in duello Prouocans arbitratu suo eligit locum, & Iudices duelli, & Prouocatus eligit arma. ita Alciatus in loco præallegato.

Sed cùm hæc & similia non requirantur quoad incurrẽdas pœnas huius constitutionis, & nihil attineant ad nostrũ propositum, de his hactenus.

Accidentalia communia duelli sunt.

Primò, vt singuli cum singulis, vel bini, terni, aut plures hinc inde pugnent.

Secundò, vt publicè & solẽniter, vel priuatim committatur.

Tertiò, vt adsint patrini, vel non.

Quartò, vt præcedant litteræ prouocatoriæ.

Quintò, vt sit loci securitas, & cætera, quæ in his accidere possunt. Sed quia hæc etiam, & similia non requirantur quoad incurrendas pœnas huius Extrauagantis, vt ex tenore verborum ipsius facile est videre, ideò similiter circa ea non immoror.

Præmitto quintò, quod Duelli duæ sunt species, nempe Publicum & solemne, & Priuatum & non solemne, vt patet ex Constitutione Gregorij XIII. vers. Nos adhæc. & Clement. VIII. vers. Quinimo de nouo. &c. 5

Publicum & solemne est, quando assignantur Patrini, fit electio loci, & in illo datur securitas, & impunitas: propter quod vulgariter appellari solet Campo franco, destinatur tēpus, fit armorum electio, & alia quæ fieri solent.

Priuatum verò duellum est, vbi dictæ solemnitates non interueniunt. Vtrunque verò est prohibitum, vt dicemus in quæst. 12.

Præmitto sextò, quod Prouocatio, quæ vulgò dicitur diffidatio, est ad duellum diffidatio. Debet tamen ita denunciari, vt ille qui diffidatur, possit se munire contra suum aduersarium, aliàs diceretur proditio. Pro hoc est tex. in l. aut qui aliter. §. si quis denunciauerit. ff. quod vi, aut clam. Bertachinus in suo Repertorio in verbo Diffida. 6



CONSTITVTIO CLEMENTIS VIII. CONTRA DVELLANTES.

SANCTISSIMI in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII.

Numeri glossas denotant.

1 Confirmatio, 1 declaratio, & extensio Constitutionum Apostolicarū, 2 & decreti Concilij Tridentini, 2 contra pugnantes in duello publicè vel priuatim; Necnon contra mittentes, scribentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut scripta, quæ dicuntur manifesta, eorumque fautores, & complices.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, 3 Ad perpetuam memoriam. 3

Prima pars principalis, in qua ponit exordium.

Illius vices, licet immeritò, gerentes, qui vt animas suorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, è cælo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguine pepercit, sed se ipsum in Ara crucis immaculatam hostiam æterno patri offerre voluit, in hanc præcipuè curam summo studio incumbimus, vt easdem animas inæstimabili precio redemptas, aduersus Sathanæ fraudes, quantùm in nobis est, illæsas præseruemus; præsertim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus Diuina Maiestas grauiùs offenditur, quæque eodem fabricāte humani
4 *generis hoste inuecta atque introducta sunt, 4 vt ex cruenta corporum*
5 *morte, 5 animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.*

Secūda pars principalis, in qua refert Extrauagantem Pij IV. Decretū Concil. Trid. & Extrauagantem Gregorij XIII.

6 *Rectè siquidē, & salubriter fel. record. Pius Papa 6 IV. prædecessor noster post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum diuina, naturalique lege ac sacris canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam constitutionibus seuerè prohibuerant, grauesque pœnas contra quoscunque temporali ditioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiectos, eius criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solùm in terris prædictis, sed aliàs vbilibet, animarum periculis obuiare, Principes, ac Domicillos pertinentes in suis dominijs id patrari, ac etiam extra terras, & loca ditioni Ecclesiasticæ subiecta huiusmodi duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id imitantes, prouocantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, illisque astantes, & interessentes, necnon chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores maioris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) vltra eam etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, &*

alia in posterum obtinenda, pœnis subiacere, easque incurrere voluit, à quibus non nisi à Romano Pontifice absolui possit.

Sed & postmodum Generalis Tridentina Synodus 7 ad exterminandum penitus ex Christiano orbe hoc malum statuit, vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, 8 qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & Dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel ad quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ 9 iuxta sacros Canones puniri debeant: Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quenquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

7

8

9

Quas pœnas nouissimè piæ Memor. Gregorius Papa XIII. pariter prædecessor noster extendit aduersus illos etiam omnes, qui non publicè, sed priuatim ex condicto, statuto, tempore, 10 & in loco conuento monomachiam commisissent, etiam patrinis, socijsque non vocatis, & loci securitate non habita, & prouocatorijs literis minimè præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterosque supradictos criminis socios, & ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset quominus pugnarent.

10

Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis, ac remotis regionibus, & potissimum vbi bella vigent, castrensi quadam, & militari licentia, seu veriùs audacia, perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, vbi Christiani nominis, seu Catholicæ fidei hostes tyrannidem exercent, siue hæreses, & schismata impunè grassantur siue inter signa, & castra militaria in caput suorum fratrum impios conuertere mucrones, quos multo salubriùs contra Christi aduersarios stringi par esset.

Tertia pars principalis, in qua cõfirmat, declarat, & extendit prædictas Apostolicas constitutiones, & decretũ Conc. Trid. & pœnas imponit.

Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipuè ipsius Domini auctoritate tradito retundere, atque à ceruicibus gregis dominici nostræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) enti possumus propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilij Trident. cum omnibus, & singulis in eis contentis, censuris, & pœnis, decretis, extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, 11 confirmamus, & innouamus.

Hæc Tertia pars subdiuiditur in quatuor partes, in hac prima cõfirmat.

11

Ac

Secunda pars huius tertiæ partis principalis, in qua declarat extensionem Pij IV. & Greg. XIII. & Decret. Conc. Trident.

Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere vbique gentium, & terrarum, inter quascunque personas, 12 *etiam armatas, & in castris, seu prob. gazaculis militantes, etiam vbi nostrorum, & S. R. E. aut catholicæ fidei hostium furor impunè grassatur, vel in Dominijs per eos occupatis, & detentis.*

Idem quoque iuris censendum esse, si publico, & forsan iusto bello indicto miles aliquis contra alterum in aduersariorum exercitu militantem, siue alias in hostium castris, præsidijs, aut terris degentem priuatas simultates, 13 *atque inimicitias publicæ causæ intermiscendæ, etiam Ducum permissu ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum prouocet.*

Nec non ijsdem pœnis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit, vel si conuenerint, vt non singuli cum singulis, sed bini terni, aut plures hinc inde pugnent.

Et non solùm locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris vel extra eà, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus aduersariorum monomachiam in quocunque casu præsentem vel alias constitutiones huiusmodi prohibito, permittentes: vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes.

14

Tertia pars huius tertiæ partis principalis, in qua extendit supradictas Constitutiones, & Decretum Conc.

Præterea pari ratione prohibemus 14 *omnia, & singula eius generis scripta, manifesta, seu fides vulgò appellata, quæ etiam sine expressa prouocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos prouocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, aut semina, vel plurimùm lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam, & occasionem præbeat. Dum scilicet in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius, pluriumve chyrographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque vt vulgo dicitur, Caualleresco, tuendi, aut lædendi siue adiutæ, propulsatæ contumeliæ aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspitionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series, & ordo narratur.*

Vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur aut negatur, vt qui contradixerit, siue nominatim, siue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur.

Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam eiusmodi, quod ad superiùs expressa spectet, gestum dictumve sit.

Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personã,

vel

vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, & verificandũ etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse.

Nec non 15 quascunque etiam sine scripto factas talium rerum su- 15
prædicta quoquomodo concernentium, & ob huiusmodi causas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire soleat, denunciationes narrationes, declarationes, & testificationes.

Volentes 16 eas; omnes, & singulos, qui suo, vel alieno nomine ad 16
effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multoque magis ad certandum prouocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictauerint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impresserint, subscripserint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, siue attestati fuerint:

Quive alijs ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam siue ad huius generis scripta, quæ manifesta, quæ chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda,
mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, 17 consilium, 18 operam, 17
vel fauorem 19 præstiterint, siue id suaserint, 20 aut mandauerint, 18
21 quovè in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, 19
22 etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, 20
aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio sub- 21
secuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in pu- 22
blicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, 23
23 quominus publicatio, aut denunciatio fieret, nihilominus censuris, 24 24
& pœnis omnibus in præsenti, & alijs prædictis constitutionibus, & Decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quàm si alijs etiam maioribus ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentijs excellant.

Quinimo de nouo etiam per præsentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti excõmunicamus, & anathematizamus,
maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque publicè, 25 vel pri- 25
uatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel alijs prædictis constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgò dicitur) ex com-
posito 26 ineuntes, necnon id scelus suadentes aut prouocantes, 27 opẽ, 26 27
consilium, vel fauorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes; vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcunque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque de-
licti socios; 28 de industria spectatores, 29 patrinos, fautores, de- 28 29
fensores, quacunque tam superius expressa, quam alia ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita vt singulares etiam personæ cuiuslibet Communitatis, Vniuersitatis, Collegij, aut Reipublicæ, quæ huius criminis participes quoquomodo fuerint; nequaquam excusentur, sed supradictos omnes eorumque singulos ipso facto absque vlla monitione, iudicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis

Quarta pars hui⁹ tertia partis principalis, in qua pœnas imponit, & sibi absolutionẽ reseruat cum clausula derogatoria.

maioris,

maioris, & maledictionis æternæ mucrone perculsos, & damnatos harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint, sepultura ecclesiastica perpetuò priuatos esse volumus.

Ipsas verò Ciuitates, terras, oppida, vel castra, & loca, in quorum territorijs id facinus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tollerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto; cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo 30 Constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis tam ecclesiasticis cuiuscunque ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis per sedem Apostolicã in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quò ad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Pœnis alijs tàm spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis nihilominùs in suo robore permansuris.

30 *Reuocat facultates absoluendi.*

Vniuersos autem, & singulos charissimos in Christo filios nostros, Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nobis viros Duces armorum, & exercituum, Marchiones, cæterosque Principes Christianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates, & Vniuersitates Ciuitatum, Oppidorum, & Castrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiã militum, & copiarum tam equestrium, quàm pedestrium Doctores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscunque etiam nobis, & S. R. E. temporali iurisdictioni non subiectis locis constitutos, cuiuscunque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, & obtestamur per viscera D. N. Iesu Christi, vt eius diuini nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & sanctam hanc sedem reuerentia, & deuotione, non modò nihil tale in suis Dominijs fieri permittant, nec vllo modo conniueant: sed hoc malum omni studio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, & contra quoscunque delinquentes, & (vt præfertur) quomodolibet complices, & participes etiam temporalibus pœnis grauissimis animaduertant, & per suos officiales, & curiæ ministros procedi curent scituri se obsequium Deo purgatum, perque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulsandos proditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam huius peccati, & adsumendas de huiusmodi crimine reis debitas pœnas exercuerint: contra verò memores, si in re tam graui malè se gesserint, se in districto Dei iudicio rationem in nouissimo die reddituros: volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides vbiquè gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, vel ostensis: quodque eædem præsentes in Lateran. ac Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & Cãcellaria

cellariæ Apostolicæ valuis de more publicentur, affixis inibi earum exẽplis per aliquem ex cursoribus nostris, & dimissis: quodque eadem publicatio, qui in Vrbe sunt, post triduum; qui verò extra eam, & citra mõtes, post duos menses: vltra montes verò post quatuor menses omnes, quos concernunt, perinde arctet, & afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimata fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis decretorum, declarationis, prohibitionis, excommunicationis, anathematizationis, maledictionis, execrationis, hortationis, rogationis, obtestationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nonagesimo secundo. 16. Kalen. Septembris Pontificatus nostri Anno primo.





DIVISIO TEXTVS SVPRADICTAE CONSTITVTIONIS.


IS præmiſſis venio ad expoſitionem tex. qui diuiditur in tres partes principales.

In prima ponit exordium. In ſecunda refert Extrauagantem Pij IV. Decretum Cōcilij Trident. & Extrauagantem Gregorij XIII. In tertia confirmat, declarat, & extendit prædictas Apoſtolicas Conſtitutiones, & Conc. Trid. Decretum, & pœnas imponit. Secunda ibi, Rectè ſiquidem &c. Tertia ibi, Verùm quia &c.

Item tertia pars ſubdiuiditur in quatuor partes. In prima confirmat, In ſecunda declarat, In tertia extendit, In quarta imponit, & ſibi abſolutionem reſeruat derogando priuilegijs per ſedem apoſtolicam quibuſcunque in contrarium conceſſis. Secunda ibi, Ac inſuper &c. Tertia ibi. Præterea &c. Quarta ibi, Quinimo de nouo &c.

In compendium redigitur ſupradicta Conſtitutio.

In compendium hoc continet; Excommunicat alijſque pœnis punit omnes duellantes publicè, vel priuatim, in quibuſcunque locis, modis, & formis: Nec non mittentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut ſcripta, eorumq; fautores, & complices, & de induſtria ſpectatores, ita vt ab alio, quàm à Romano Pontifice abſolui non poſſint.



Expositio Textus Constitutionis Clem. VIII. quæ incipit, *Illius vices &c.* per glossas.

SVMMARIVM.

Leges Pontificiæ, quæ post Sextum Decretalium, & Clementinarum sunt emanatæ, & publicatæ, quibus nominibus appellari soleant. Glos. 1.

Decreta Concilij Tridentini, & Canones eiusdem Concilij qui sunt. Glos. 2.

Legis substantia scriptura non est. Glos. 3. remissiuè.

Duella fuerunt introducta in Italiam à Longobardis. Glo. 4.

Auxiliantes qui dicantur. gl. 17.

Consilium dantes quando puniantur. gl. 18.

Fautores qui dicantur. gl. 19.

Suadentes, & Instigantes quomodo differant inter se. gl. 20.

Mandatum quid sit. gl. 21.

Mandans punitur siue expreßè, siue tacitè mandet. glo. 21. versic. Primò, &c.

Mandans punitur siue per se, siue per alterum mandatarius exequatur mandatum, fallit quando mandans expreßè prohibuisset. glos. 21. vers. secundò, &c.

Mandans punitur dato, quòd mandatarius mandatum repudiet, si postea mutata sententia exequatur illud. glos. 21. versic. Tertiò, &c.

Consulentes, spectatores, Patrini, mandantes, defensores, scribentes, componentes, & alij cooperatores quibus pœnis puniantur. glos. 24. remissiuè.

Socij criminis quando incurrunt pœnā excōmunicationis. glo. 28.

Spectatores de industria, qui dicantur, ad hoc, vt sint excommunicati. glos. 29.

Vtrum in foro pœnitentiæ, extra mortis articulum, poßit aliquis absoluere à dicta excommunicatione. glos. 30.

Glossa. 1 *CONFIRMATIO, declaratio, & extensio Constitutionum Apostolicarum &c.*

Leges Pontificiæ, quæ post Sextum Decretalium, & Clementinarum sunt emanatæ tribus nominibus appellari solent, nempe Constitutiones Apostolicæ, vt patet hic.

Extrauagantes, vt in Sexto Decretalium post Clementinarum libros videri poterit.

Et Bullæ, vt patet in Bullario.

2 *Et Decreti Concil. Triden. &c.* Decreta Concilij Trid. dicuntur illæ determinationes, quæ sunt Rubrica, Decretum de Reformatione: quæ de moribus tractant.

Canones verò dicuntur illa capita, quæ cōmuniter incipiūt hoc modo: Siquis dixerit &c. Siquis negauerit &c. & finiunt in verbo Anathema sit: qui Canones determinationes sunt de rebus ad fidem concernētibus. Ita docet Viualdus in quarta parte sui Candelabri cap. 8. de lege Canonica. nu. 15. & patet ex dicto Concilio, & alijs.

3 *Ad perpetuam rei memoriam &c.* Scriptura licet non sit de substantia legis, vt docent communiter Canonistæ; quos refert & sequitur Azozius in volum. 1. Institutionum moraliū lib. 5. cap. 2. q. 4. tamen in scriptis fieri solet ad perpetuam rei memoriam.

4 *Introducta sunt. &c.* Duella in Italiam introducta fuerunt à Longobardis, vt refert Mutius Instinopolitanus in suo tract. de duello lib. 1. c. 1. col. vlt.

5 *Vt ex cruenta corporum morte, &c.* Ex prohemio colligitur finis, & intentio auctoris. c. Quia propter, de Electione. l. fi. ff. de hæredibus instituen. Ex supradictis enim verbis clarè colligitur intentionem Clemēt. VIII. fuisse prohibere omnia duella cruenta quocunque fine fiant, vt latè videbimus in q. 1.

6 *Pius Papa IV. post alios cōplures suos nostrosq; prædecessores &c.* Ante Pium IV. duellum fuerat prohibitum à Iulio II. Leone X. Clem. VII. & Iulio III. Sed constitutiones istorum Pontificum erant tantùm pro statu Ecclesiastico; sed Pius IV. illas confirmauit, & extendit etiam extra statum Ecclesiasticum: Istæ Constitutiones habentur in fine huius tractatus.

7 *Tridentina Synodus &c.* In sess. 25. c. 19. sub Dec. de Refor.

Tridentina Synodus &c. In sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformatione. 7

Domini temporales &c. Isti Domini temporales, qui locũ ad monomachiam concedunt, incurrunt in alias pœnas vltra istas, quæ hic enumerantur, vt videri poterit infra in q. 6. §. 1. 8

Vt homicida &c. Ad quam restitutionem in foro conscientiæ teneantur, qui descendunt ad singulare certamen, si alter alterum lædat, vel occidat, tractabitur infra in q. 39. & 40. 9

Statuto tempore, & in loco conuento, &c. Quid si commissum sit duellum, vel facta sit prouocatio ad duellum, sed neque tempus, neque locus statutus sit ad pugnandum, an incidant in pœnas contra duellantes inflictas, videri poterit infra in quæst. 15. & 20. 10

Approbamus, confirmamus, & innouamus, &c. Per præsentẽ Constitutionem non solũ Summus Pontifex approbat, confirmat, & innouat in Constitutiones Pij IV. & Gregorij XIII. sed etiam Constitutiones Iulij II. Leonis X. & Clem. VII. & Iulij III. de duello tractantes, licet de illis mentionem non faciat. Et ratio est, quia per Pium IV. in sua Constitutione fuerunt approbatæ, innouatæ, & confirmatæ his verbis: Sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, singulas Iulij, Leonis, & Clementis prædecessorum literas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore subsistere volumus: &c. 11

Et similiter per Gregorium XIII. his verbis: *Constitutionibus autem, & alijs sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis.* Vnde cum in hac Constitutione Clem. VIII. sint approbatæ, confirmatæ, & innouatæ Constitutiones Pij IV. & Gregorij XIII. & per istas sint approbatæ omnes aliæ supradictæ Constitutiones de Duello disponentes, sequitur quòd omnes sint approbatæ, confirmatæ, & innouatæ.

Nec obstat tex. in c. 1. de Constit. in 6. vbi Summus [illegible] fex condendo posteriorem Constitutionem, prior[illegible] non noscitur; quia respondetur, quòd procedit qu[illegible] tiones sunt contrariæ: sed quando sunt cõfo[illegible] fit mentio de prioribus, & expresse confi[illegible] tur, vt in casu nostro secus est dicendu[illegible] modo prohibitum

CONSTITVTIO CLEMENTIS VIII. CONTRA DVELLANTES.

SANCTISSIMI in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII.

Numeri glossas denotant.

1 Confirmatio, 1 declaratio, & extensio Constitutionum Apostolicarũ, 2 & decreti Concilij Tridentini, 2 contra pugnantes in duello publicè vel priuatim; Necnon contra mittentes, scribentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut scripta, quæ dicuntur manifesta, eorumque fautores, & complices.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei. 3 Ad perpetuam memoriam. 3

Prima pars principalis: in qua ponit exordium.

Illius vices, licet immeritò, gerentes, qui vt animas suorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, è cœlo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguine pepercit, sed se ipsum in Ara crucis immaculatam hostiam æterno patri offerre voluit, in hanc præcipuè curam summo studio incumbimus, vt easdem animas inæstimabili precio redemptas, aduersus Sathanæ fraudes, quantùm in nobis est, illæsas præseruemus; præsertim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus Diuina Maiestas grauiùs offenditur, quæque eodem fabricãte humani
4 *generis hoste inuẽta atque introducta sunt, 4 vt ex cruenta corporum*
5 *morte, 5 animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.*

Secũda pars principalis, in qua refert Extrauagantem Pij IV. Decretũ Concil. Trid. & Extrauagantem Gregorij XIII.

6 *Rectè siquidẽ, & salubriter fel. record. Pius Papa 6 IV. prædecessor noster post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum diuina, naturalique lege ac sacris canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam constitutionibus seuerè prohibuerant, grauesque pœnas contra quoscunque temporali ditioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiectos, eius criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solùm in terris prædictis, sed aliàs vbilibet, animarum periculis obuiare, Principes, ac Domicellos pertinentes in suis dominijs id patrari, ac etiam extra terras, & loca ditioni Ecclesiasticæ subiecta huiusmodi duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id imitantes, prouocantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, illisque astantes, & interessentes, necnon chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores maioris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) vltra eam etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia*

alia in posterum obtinenda, pœnis subiacere, easque incurrere voluit, à quibus non nisi à Romano Pontifice absolui possit.

Sed & postmodum Generalis Tridentina Synodus 7 ad exterminandum penitus ex Christiano orbe hoc malum statuit, vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, 8 qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & Dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel ad quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ 9 iuxta sacros Canones puniri debeant: Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quenquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. 7 8 9

Quas pœnas nouissimè piæ Memor. Gregorius Papa XIII. pariter prædecessor noster extendit aduersus illos etiam omnes, qui non publicè, sed priuatim ex condicto, statuto, tempore, 10 & in loco conuento monomachiam commisissent, etiam patrinis, socijsque non vocatis, & loci securitate non habita, & prouocatorijs literis minimè præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterosque supradictos criminis socios, & ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset quominus pugnarent. 10

Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis, ac remotis regionibus, & potissimum vbi bella vigent, castrensi quadam, & militari licentia, seu veriùs audacia, perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, vbi Christiani nominis, seu Catholicæ fidei hostes tyrannidem exercent, siue hæreses, & schismata impunè grassantur siue inter signa, & castra militaria in caput suorum fratrum impios conuertere mucrones, quos multo salubriùs contra Christi aduersarios stringi par esset.

Tertia pars principalis, in qua cõfirmat, declarat, & extendit prædictas Apostolicas constitutiones, & decretũ Conc. Trid. & pœnas imponit.

Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipuè ipsius Domini auctoritate tradito retundere, atque à ceruicibus gregis domini nostræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti possumus propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilij Trident. cum omnibus, & singulis in eis contentis, censuris, & pœnis, decretis, extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, 11 confirmamus, & innouamus. 11

Hæc Tertia pars subdiuiditur in quatuor partes, in hac prima cõfirmat.

Ac

Secunda pars huius tertiæ partis principalis, in qua declarat constitutionem Pij IV. & Greg. XIII. & Decret. Conc. Trident.

Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere vbique gentium, & terrarum, inter quascunque personas, 12 etiam armatas, & in castris, seu prop: gnaculis militantes, etiam vbi nostrorum, & S. R. E. aut catholicæ fidei hostium furor impunè grassatur, vel in Dominijs per eos occupatis, & detentis.

12

Idem quoque iuris censendum esse, si publico, & forsan iusto bello indicto miles aliquis contra alterum in aduersariorum exercitu militantem, siue alias in hostium castris, præsidijs, aut terris degentem priuatas simultates, 13 atque inimicitias publicæ causa intermiscendo, etiam Ducum permissu ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum prouocet.

13

Nec non ijsdem pœnis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit, vel si conuenerint, vt non singuli cum singulis, sed bini terni, aut plures hinc inde pugnent.

Et non solùm locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus aduersariorum monomachiam in quocunque casu præsentem vel alias constitutiones huiusmodi prohibito, permittentes: vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes.

Tertia pars huius tertiæ partis principalis, in qua extendit supradictas Constitutiones, & Decretum Conc.

14 Præterea pari ratione prohibemus 14 omnia, & singula eius generis scripta, manifesta, seu fides vulgò appellata, quæ etiam sine expressa prouocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quadam ad chartulas, seu libellos prouocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, aut semina, vel plurimùm lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam, & occasionem præbeat. Dum scilicet in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, vel intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius, pluriumve chyrographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque vt vulgo dicitur, Cauallaresco, tuendi, aut lædenai siue ad illatæ, propulsatæ contumeliæ aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspitionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, & ordo narratur.

Vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur aut negatur, vt qui contradixerit is, siue nominatim, siue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur.

Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum dictumve sit.

Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personã,

vel

vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, & verificandū etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse.

Nec non 15 quascunque etiam sine scripto factas talium rerum su- 15
pradicta quoquomodo concernentium, & ob huiusmodi causas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire soleat, denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes.

Volentes 16 eas, omnes, & singulos, qui suo, vel alieno nomine ad 16
effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multoque magis ad certandum prouocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictauerint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impresserint, subscripserint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, siue attestati fuerint.

Quive alijs ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, siue ad huius generis scripta, quæ manifesta, quæ chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda,
mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, 17 consilium, 18 operam, 17
vel fauorem 19 præstiterint, siue id suaserint, 20 aut mandauerint, 18
21 quovè in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, 19
22 etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, 20
aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio sub- 21
secuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in pu- 22
blicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, 23
23 quominus publicatio, aut denunciatio fieret, nihilominus censuris, 24 24
& pœnis omnibus in præsenti, & alijs prædictis constitutionibus, & Decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quàm si alijs etiam maioribus ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentijs excellant.

Quinimo de nouo etiam per præsentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti excōmunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque publicè, 25 vel priuatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel alijs prædictis constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgò dicitur) ex composito 26 ineuntes, necnon id scelus suadentes aut prouocantes, 27 opē, consilium, vel fauorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes; vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcunque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socios, 28 de industria spectatores, 29 patrinos, fautores, defensores, quacunque tam superius expressa, quam alia ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita vt singulares etiam personæ cuiuslibet Communitatis, Vniuersitatis, Collegij, aut Reipublicæ, quæ huius criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes eorumque singulos ipso facto absque vlla monitione, iudicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis

Quarta pars huiꝰ tertia partis principalis, in qua pœnas imponit, & sibi absolutionē reseruat cum clausula derogatoria. 25 26 27 28 29

maioris,

maioris, & maledictionis æternæ mucrone perculsos, & damnatos harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint, sepultura ecclesiastica perpetuò priuatos esse volumus.

Ipsas verò Ciuitates, terras, oppida, vel castra, & loca, in quorum territorijs id facinus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tollerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto; cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo 30 Constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis tam ecclesiasticis cuiuscunque ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præminentia insignitis per sedem Apostolicã in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quò ad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Pœnis alijs tàm spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis nihilominùs in suo robore permansuris.

30 *Reuocat facultates absoluendi.*

Vniuersos autem, & singulos charissimos in Christo filios nostros, Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nobis viros Duces armorum, & exercituum, Marchiones, cæterosque Principes Christianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates, & Vniuersitates Ciuitatum, Oppidorum, & Castrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiã militum, & copiarum tam equestrium, quàm pedestrium Doctores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscunque etiam nobis, & S. R. E. temporali iurisdictioni non subiectis locis constitutos, cuiuscunque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, & obtestamur per viscera D. N. Iesu Christi, vt eius diuini nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & sanctam hanc sedem reuerentia, & deuotione, non modò nihil tale in suis Dominijs fieri permittant, nec vllo modo conniueant: sed hoc malum omni studio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, & contra quoscunque delinquentes, & (vt præfertur) quomodolibet complices, & participes etiam temporalibus pœnis grauissimis animaduertant, & per suos officiales, & curiæ ministros procedi curent scituri se obsequium Deo purgatum, perque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulsandos proditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam huius peccati, & adsumendas de huiusmodi crimine reis debitas pœnas exercuerint: contra verò memores, si in re tam graui malè se gesserint, se in districto Dei iudicio rationem in nouissimo die reddituros: volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides vbique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, vel ostensis: quodque eædem præsentes in Lateran. ac Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & Cã-

cellaria

cellariæ Apostolicæ valuis de more publicentur, affixis inibi earum exēplis per aliquem ex cursoribus nostris, & dimissis: quodque eadem publicatio, qui in Vrbe sunt, post triduum; qui verò extra eam, & citra mōtes, post duos menses: vltra montes verò post quatuor menses omnes, quos concernunt, perinde arctet, & afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimata fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis decretorum, declarationis, prohibitionis, excommunicationis, anathematizationis, maledictionis, execrationis, hortationis, rogationis, obtestationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nonagesimo secundo. 16. Kalen. Septembris Pontificatus nostri Anno primo.

DIVISIO TEXTVS SVPRADICTAE CONSTITVTIONIS.




HIS præmissis venio ad expositionem tex. qui diuiditur in tres partes principales.

In prima ponit exordium. In secunda refert Extrauagantem Pij IV. Decretum Cōcilij Trident. & Extrauagantem Gregorij XIII. In tertia confirmat, declarat, & extendit prædictas Apostolicas Constitutiones, & Conc. Trid. Decretum, & pœnas imponit. Secunda ibi, Rectè siquidem &c. Tertia ibi, Verùm quia &c.

Item tertia pars subdiuiditur in quatuor partes. In prima confirmat, In secunda declarat, In tertia extendit, In quarta imponit, & sibi absolutionem reseruat derogando priuilegijs per sedem apostolicam quibuscunque in contrarium concessis. Secunda ibi, Ac insuper &c. Tertia ibi. Præterea &c. Quarta ibi, Quinimo de nouo &c.

In compendium redigitur supradicta Constitutio.

In compendium hoc continet; Excommunicat alijsque pœnis punit omnes duellantes publicè, vel priuatim, in quibuscunque locis, modis, & formis: Nec non mittentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut scripta, eorumq; fautores, & complices, & de industria spectatores, ita vt ab alio, quàm à Romano Pontifice absolui non possint.



Ex-

Expositio Textus Constitutionis Clem. VIII. quæ incipit, *Illius vices &c.* per glossas.

S V M M A R I V M.

Leges Pontificiæ, quæ post Sextum Decretalium, & Clementinarum sunt emanatæ, & publicatæ, quibus nominibus appellari soleant. Glos. 1.

Decreta Concilij Tridentini, & Canones eiusdem Concilij qui sunt, Glos. 2.

Legis substantia scriptura non est. Glos. 3. remissiuè.

Duella fuerunt introducta in Italiam à Longobardis: Glo. 4.

Auxiliantes qui dicantur. gl. 17.

Consilium dantes quando puniantur. gl. 18.

Fautores qui dicantur. gl. 19.

Suadentes, & Instigantes quomodo differant inter se. gl. 20.

Mandatum quid sit. gl. 21.

Mandans punitur, siue expreßè, siue tacitè mandet. glo. 21. versic. Primò, &c.

Mandans punitur siue per se, siue per alterum mandatarius exequatur mandatum: fallit quando mandans expreßè prohibuisset. glos. 21. vers. secundò, &c.

Mandans punitur dato, quòd mandatarius mandatum repudiet, si postea mutata sententia exequatur illud. glos. 21. versic. Tertiò, &c.

Consulentes, spectatores, Patrini, mandantes, defensores, scribentes, componentes, & alij cooperatores quibus pœnis puniantur. glos. 24. remissiuè.

Socij criminis quando incurrunt pœnã excõmunicationis. glo. 28.

Spectatores de industria, qui dicantur, ad hoc, vt sint excommunicati. glos. 29.

Vtrum in foro pœnitentiæ, extra mortis articulum, possit aliquis absoluere à dicta excommunicatione. glos. 30.

CON-

Glossa.
1 *CONFIRMATIO, declaratio, & extensio Constitutionum Apostolicarum. &c.*

Leges Pontificiæ, quæ post Sextum Decretalium, & Clementinarum sunt emanatæ tribus nominibus appellari solent, nempe Constitutiones Apostolicæ, vt patet hic.

Extrauagantes, vt in Sexto Decretalium post Clementinarum libros videri poterit.

Et Bullæ, vt patet in Bullario.

2 *Et Decreti Concil. Triden. &c.* Decreta Concilij Trid. dicuntur illæ determinationes, quæ sunt Rubrica, Decretum de Reformatione: quæ de moribus tractant.

Canones verò dicuntur illa capita, quæ cõmuniter incipiũt hoc modo: Siquis dixerit &c. Siquis negauerit &c. & finiunt in verbo Anathema sit: qui Canones determinationes sunt de rebus ad fidem concernẽtibus. Ita docet Viualdus in quarta parte sui Candelabri cap. 8. de lege Canonica. nu. 15. & patet ex dicto Concilio, & alijs.

3 *Ad perpetuam rei memoriam &c.* Scriptura licet non sit de substantia legis, vt docent communiter Canonistæ, quos refert & sequitur Azozius in volum. 1. Institutionum moraliũ lib. 5. cap. 2. q. 4. tamen in scriptis fieri solet ad perpetuam rei memoriam.

4 *Introducta sunt. &c.* Duella in Italiam introducta fuerunt à Longobardis, vt refert Mutius Iustinopolitanus in suo tract. de duello lib. 1. c. 1. col. vlt.

5 *Vt ex cruenta corporum morte, &c.* Ex prohemio colligitur finis, & intentio auctoris. c. Quia propter, de Electione. l. fi. ff. de hæredibus instituen. Ex supradictis enim verbis clarè colligitur intentionem Clemẽt. VIII. fuisse prohibere omnia duella cruenta quocunque fine fiant, vt latè videbimus in q. 1.

6 *Pius Papa IV. post alios cõplures suos nostrosq; prædecessores &c.* Ante Pium IV. duellum fuerat prohibitum à Iulio II. Leone X. Clem. VII. & Iulio III. Sed constitutiones istorum Pontificum erant tantùm pro statu Ecclesiastico; sed Pius IV. illas confirmauit, & extendit etiam extra statum Ecclesiasticum: Istæ Constitutiones habentur in fine huius tractatus.

7 *Tridentina Synodus &c.* In sess. 25. c. 19. sub Dec. de Refor.

Tridentina Synodus &c. In sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformatione. 7

Domini temporales &c. Isti Domini temporales, qui locũ ad monomachiam concedunt, incurrunt in alias pœnas vltra istas, quæ hic enumerantur, vt videri poterit infra in q. 6. §. 1. 8

Vt homicidæ &c. Ad quam restitutionem in foro conscientiæ teneantur, qui descendunt ad singulare certamen, si alter alterum lædat, vel occidat, tractabitur infra in q. 39. & 40. 9

Statuto tempore, & in loco conuento, &c. Quid si commissum sit duellum, vel facta sit prouocatio ad duellum, sed neque tempus, neque locus statutus sit ad pugnandum, an incidant in pœnas contra duellantes inflictas, videri poterit infra in quæst. 15. & 20. 10

Approbamus, confirmamus, & innouamus, &c. Per præsentẽ Constitutionem non solũ Summus Pontifex approbat, confirmat, & innouat in Constitutiones Pij IV. & Gregorij XIII. sed etiam Constitutiones Iulij II. Leonis X. & Clem. VII. & Iulij III. de duello tractantes, licet de illis mentionem non faciat. 11

Et ratio est, quia per Pium IV. in sua Constitutione fuerunt approbatæ, innouatæ, & confirmatæ his verbis: Sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, singulas Iulij, Leonis, & Clementis prædecessorum literas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore subsistere volumus: &c.

Et similiter per Gregorium XIII. his verbis: *Constitutionibus autem, & alijs sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis.* Vnde cum in hac Constitutione Clem. VIII. sint approbatæ, confirmatæ, & innouatæ Constitutiones Pij IV. & Gregorij XIII. & per istas sint approbatæ omnes aliæ supradictæ Constitutiones de Duello disponentes, sequitur quòd omnes sint approbatæ, confirmatæ, & innouatæ.

Nec obstat tex. in c. 1. de Constit. in 6. vbi Summus Pontifex condendo posteriorem Constitutionem, priorẽ reuocare noscitur; quia respondetur, quòd procedit quando Cõstitutiones sunt contrariæ: sed quando sunt cõformes, & in vltima fit mentio de prioribus, & expressè confirmantur, & innouantur, vt in casu nostro secus est dicendum.

Amplius dato, & non concesso, quòd non fuissent receptæ dictæ Constitutiones, & Decretum, vel per contrariũ vsum essent abolitæ, tamen per præsentem Constitutionem supradictis verbis sunt innouatæ.

12 *Inter quascunque personas &c.* Quid si duellum committatur inter Iudæos, qui in terris Christianorum commorantur, vtrum incidant in pœnas contra duellantes inflictas per hanc Constitutionem, videbimus infra in q. 10.

13 *Priuatas simultates &c.* Quid si duellum fiat ob publicã causam, & Ducum permissu, an incidant in pœnas contra duellantes inflictas? disputabitur in quæst. 16.

14 *Præterea pari ratione prohibemus &c.* In prima parte tertiæ partis principalis huius Constitutionis confirmauit, & innouauit Constitutiones Prædecessorum, & Decretum Concilij Tridentini: In secunda illius declarauit. Nunc verò in hac tertia parte incipit extendere illas: Et sicut principaliter, & simpliciter erat pugna duelli prohibita, ita principaliter, & simpliciter prohibet nunc huiusce generis scripta, quæ manifesta, & fides, vulgo appellantur: & multò magis prouocatoria scripta, vt patet infra in versic. Volentes &c.

15 *Necnon quascunque etiam nisi scripto &c.* Hic similiter principaliter, & simpliciter prohibet declarationes, narrationes, & testificationes, quæ sine scriptura fieri solent in locis publicis, vel priuatis vbi hominum multitudo conuenire solet, sub prætextu proprij vel alieni honoris, & famæ tuendæ, aut lædendæ &c.

Et etiam Prouocationes, seu Diffidationes ad pugnam duellicam sine scriptura similiter factas.

Sed nunquid audientes dictas Narrationes, Declarationes, & Testificationes incidant in easdem pœnas, in quas incidunt ipsi narrantes, declarantes, & testificantes? vide infra in q. 21. vbi tractabitur.

16 *Volentes eos omnes &c.* Actiones, quæ sequuntur communiter occurrere solent in ordine ad supradictas tres actiones principaliter, & simpliciter prohibitas exequendas: quæ licet sint principaliter etiam prohibitæ, non tamen simpliciter, sed sub ista conditione, & clausula, (*Si pliceat rob gsteneni*) quæ minus

actio illa exequatur, vt infra in quæst. 5. conclus. 2. à num. 8. latius probabimus.

Auxilium &c. Dicitur auxilians siue mediatè, siue imme- 17
diatè: siue directè, siue indirectè auxilium sit præstitum. Nam per hanc Constitutionem excommunicantur, & puniuntur omnes illi, qui in præmissis quomodolibet se immiscuerint, vt in præsenti versic. clarè patet.

Sed quæret aliquis, vtrum auxilianti detur locus pœnitentiæ re integra, id est ante delictum, in quo datum est auxilium. vide infra in quæst. 2.

Qui verò post duellum commissum, vel prouocationem ad duellum factam &c. Auxilium præstaret, non ratione duelli commissi, vel prouocationis factæ, sed consanguinitatis, & amicitiæ gratia, vel ob aliam similem causam, non incideret in pœnas contra auxiliantes inflictas. Et ratio est, quia Constitutiones contra duellantes inflictæ loquuntur de iis, qui opem & auxilium ferunt ad duellum committendum. Vnde ii, qui non ad duellum committendum, sed alia de causa auxilium præstant, non erunt excommunicati. arg. c. Nonne. de præsumpt. & l. cum Prætor. ff. de iudic. Et ita in simili docet Nauar. in Manuali cap. 27. num. 55. versic. Quarta quod fautores. & consil. 23. num. 8. de sent. excom. Caietanus in sum. in verbi. Excommunicatio. c. 10. Vgol. in Bulla Cœnæ Domini, parte 2. cap. 11. versic. seu præstantes eis auxilium, num. 4. in fine versi. Postremo excipitur. Lucas Florotius de prohib. duelli, cap. 11. § 1. num. 12. vers. Tertio excipitur.

Consilium &c. Consilium dantes directè, siue indirectè: im- 18
mediatè siue immediatè ad pugnam duellicam committendam, vel ad manifesta, & prouocatoria scripta componenda, scribenda, publicanda &c.

Vel ad narrationes, Declarationes, Testificationes, & Diffidationes prædictas faciendas, sunt ipso facto excommunicati, & incurrunt pœnas contra duellantes inflictas, etiam non secuto effectu, in quo datum est consilium, si per eos non steterit, quominus effectus sequeretur, vt probabitur in quæst. 5. conclus. 2. à num. 8.

Dixi directè, siue indirectè, quia vtroque modo prohibitum

est consilium, vt in simili docet Vgolin. in Bulla Cœnæ Domini parte 2. cap. 11. versic. consilium. num. 3. & in terminis nostris Lucas Floronus in tracta. de prohibitione duelli c. 9. §. 1. nu. 3. versic. Postremo locum habet. & nu. 4. 5. & 6.

Dixi immediatè, siue mediatè: quia quocunque modo præstetur consilium, incidit consulens in pœnas huius Constitutionis. Hoc colligitur ex præsenti Constitutione Clem. VIII. in vers. quiue alijs. &c. ibi, Quomodolibet se immiscentes &c. in vers. Quinimo de nouo. ibi, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus. &c. Ex quibus locis manifeste apparet mentem Summi Pontificis esse tollere omnem occasionem, & præcludere omnem viam duellandi.

Præterea hic prohibetur consilium simpliciter, ergo omne consilium est prohibitum: nam dum lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. l. Præses. ff. de offic. Præsidis. l. de pretio. ff. de Publiciana in rem actione. Et huius opinionis est Lucas Floronus in suo Tractatu de prohibitione duelli c. 9. §. 3.

Sed quid si consilium non sit efficax, vel sit reuocatum. vide q. 32. & 33.

19 *Fauorem præstiterint &c.* Vt scias qui dicantur fautores, & Defensores in hoc delicto, Distinguendum est inter personas publicas & priuatas. Nam personæ publicæ, quæ gladij potestate funguntur, ex sola omissione possunt dici fautores, putà nõ prohibendo, vel non puniendo sicut debent, vel non capiendo si sunt iustitiæ ministri; quia qui crimina quæ potest emendare non corrigit, ipse committit. c. negligere. 2. q. 7. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. c. sicut dignũ. §. illi etiam. & c. de homicidio; c. qui potest 23. q. 3. & clarè colligitur ex præsenti Constitutione, vers. Et non solùm locorum Domini, &c.

Priuatæ verò personæ ex sola omissione fautores non sunt, quia ad id non tenetur: cooperatione tamen possunt dici fautores duobus modis, verbis scilicet, & factis. Verbis laudando, quando laus posset esse efficax dueliandi, vel diffidandi ad duellum &c. Nam si esset post factum, peccaret mortaliter, non autem incurreret pœnas huius constitutionis per supradicta in gloss. 17. vers. Qui verò post duellum.

Factis

Factis dici possunt fautores, si ad hunc effectũ starent in aliquo loco, ne duellantes à ministris iustitiæ caperentur, vel diuiderentur ab aliquibus, & alijs similibus modis.

Puniuntur autem iisdem pœnis, quibus consulentes puniũtur, si per eos non steterit, quo minus effectus sequeretur, vt videri poterit infra in q. 5. concl. 2. num. 8.

Suaserint &c. Suadẽtes, & Instigãtes differunt inter se. Nã 20 suadentes dicuntur illi, qui aliquem in opinionem suã rationibus, & placidis verbis hortantur, & inducere conantur in suam opinionem.

Instigantes verò dicuntur illi, qui incitant, & obiurgatione quadam impellunt aliquem ad aliquid faciendum. In præsenti Constitutione fit tantùm mentio de suadente: sed de instigante fit mentio in Constitutione Gregorij XIII. Versic. volentes etiam &c.

Mandauerint &c. Mandatum est imperium, quo quis aliquid iubet ad satisfactionem suæ voluntatis, nulla data pecunia, vel aliò. Et à mandatario gratis suscipitur ad exhibendũ. Ita Syl. in summa verb. Mandatum in principio. 21

Et licet differat aliquantulum à Iussione, & præcepto, nã iussio fieri solet ab illis, qui aliquam potestatem superioritatis habent, vt à parentibus Filijs, & à Dominis seruis, & ideo eius executio non videtur libera, quemadmodum mandati executio: Et Præceptum fieri soleat ab habente iurisdictionem in eum, cui præceptum fit: tamen in præsenti casu pro eodẽ vsurpantur Mandatum, Iussio, & Præceptũ. Et ita in simili docuit Bartholomæus Vgolinus in expositione Bullæ Cœnæ Domini parte 2. cap. 12. vers. Nec non ea mandantes.

Circa mandatum tria sunt aduertenda.

Primò, quòd pœnæ contra mandantem inflictæ per hãc Cõstitutionem locum habent non solùm quando expressis verbis factum est mandatum, sed etiam quando obscuris, quæ tacitum mandatum continent: Nam non sonus verborũ, sed substantia consideratur, vt docet Bart. in l. non solum. §. mandato. ff. de iniur. in 1. q.

Et propterea licet non dicatur, mãdo, præcipio, &c. sed proferantur talia verba, ex quibus æquipollens resultet, dicitur mandatum.



Hinc idem Bartol. in l. si quis mihi bona. §. Pater Seio. ff. de acqui. hær. decidit, quòd cùm quidam Nobilis, qui receperat iniuriam, dixisset famulo suo, Nunquam redeas domum, nisi sentiam aliquid de hoc negotio, & postea famulus occidisset illum iniuriantem, quoniam ex illis verbis resultabat mandatum, illi nobili fuit amputatum caput: Et hanc doctrinam sequitur Alexan. in consi. 127. col. 2. vol. 4. & cons. seq. in fine. Ægidius Bossius in sua practica criminali titulo de Mandato ad homicidium. nu. 48. & est communis, vt testatur Ludouicus Carrerius in sua practica criminali tit. de homicidio. §. circa num. 37. quò in loco latissimè hanc opinionẽ explicat post Iasonem in l. 1. C. de seruis fugit. num. 28.

Secundò est aduertendum, quod locum habent dictæ pœnæ non solùm quando mandatarius per se mãdatum exequitur, sed etiam quando per alium. Et ratio est, quia qui est causa causæ, est causa causati, vt habetur in c. fi. de iniurijs & damno dato. l. Manumissiones. ff. de manumiss.

Præterea qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. ca. qui facit per alium. de regul. iur. in 6. l. si per alium. ff. Ne quis eum qui in ius voc. & hanc opinionem docet Lucas Floronus in suo Tractatu de Prohibitione Duelli cap. 14. §. 1. nu. 5. vers. sexto locum habet: & in simili arte ipsum docuit Bartholomeus Vgolinus in expositione Bullæ Cœnæ Domini parte 2. cap. 11. vers. Necnon ea mandantes. §. 2. num. 5.

Excipio tamen quando mandans expresse commisisset, ne per alium id faceret. In hoc enim casu nec in pœna excommunicationis, nec in alijs Mandans incideret; quia nec expressè, nec tacitè mandauit, immò expressè prohibuit. Ita Vgolinus vbi supra num. 5. in fine.

Tertiò est aduertendum locum habere dictas pœnas contra mandantem, non solùm quando mandatarius mãdatum acceptat, sed etiam si repudiet mandatum, & postea mutata sententia exequatur illud, quód prius repudiauerat. Et ratio est, quia Mandans debebat illud reuocare, & non reuocando perseuerabat primum crimen, quod fecerat mandando. Ita in simili docet Simon Maiolus in Tracta. de irregularitate. lib. 5. c. 48. §. 2. nu. 3. vers. Quarto amplia. Innoc. in c. ad audientiam.



dientiam. de homicidio. Vgolinus de irregulari. cap. 15. nu. 3. & in terminis nostris docet Lucas Floronus de Prohibitione duelli. cap. 14. §. 1. num. 6. vers. Septimò locum habet. &c. Suarez tomo 5. de irregularitate. Disput. 44. sect. 3. nu. 9. & Sayrus de censuris Ecclesia. lib. 7. c. 2. num. 15. Ratum habens an incidat in eandem pœnam, in quam incidit Mandatarius habetur infra in q. 3.

Vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint &c. Ista clau- 22
sula continet complures casus, cùm sit valde generalis.

Si per eos non steterit quominus &c. Ista clausula quibus 23
actionibus, vel personis referatur, examinatur infra in q. 5. conclus. 2. nu. 8.

Qñ verò dicatur adimpleta, videri poterit in eadē q. 5. n. 13.

Censuris & pœnis omnibus &c. Quot & quæ sunt pœnæ im- 24
positæ contra delinquentes in hac Constitutione, & alijs iuribus habetur infra in q. 6.

Quando verò dictis pœnis ligentur, habetur infra q. 7.

Ignorantia quando excuset à dictis pœnis, habetur, q. 8.

Est tamen aduertendum, quod eisdē pœnis, quibus puniũtur pugnantes in duello, puniuntur etiam illi, qui manifesta, & prouocatoria scripta publicant, vel intimant: Et illi qui Declarationes, Narrationes, Testificationes, vel Diffidationes seu Prouocationes faciunt sine scriptura.

Alij verò vt sunt Fautores, Suadentes, Mandantes, Instigantes, Commeatum præstantes, Patrini, Spectatores, Consulentes, Auxilium præstantes, Defensores, Arma, pecuniam, & alia subsidia scienter subministrantes, Domini locorum, in quibus duellum committitur, Magistratus, Præsides Locumtenentes, Militum Duces, Capitanei, Ciuitates, Terræ, & Oppida duellum permittentes; Qui manifesta & prouocatoria scripta scribunt, subscribunt, dictant, componunt, mittunt, deferunt, typis imprimunt, vel quomodolibet ad prædicta consilium, auxilium, operam, & fauorem præstiterint, suaserint, mandauerint, vel quomodolibet se immiscuerint, puniuntur etiam eisdem pœnis, si per eos non steterit, quominus effectus sequatur, vt latè probatum est in quæst. 5. conclus. 1. & 2. & q. 6. §. 4.

25 *Publicè vel priuatim &c.* Vtrumque duellum prohibetur, & pœnæ impositæ in duello publico, & solemni, habent locũ in duello priuato, & è contrà, vt infra in q. 12. videbimus.

26 *Ex composito ineunte &c.* Quibus pœnis afficiantur pugnãtes in duello, habetur infra. q. 6. §. 3.

27 *Aut prouocantes &c.* Et similiter prouocationem acceptãtes sunt excommunicati statim facta acceptatione, dato quòd pugna non sequatur quemadmodum ipsi prouocãtes, vt probabimus infra in q. 21.

Sed quid si prouocatio sit facta in rixa, & calore iracundiæ? vide in quæst. 20.

Quid si facta sit prouocatio ad pugnam, non verbis, sed factis, an incurrat prouocans in pœnas contra prouocantes ad duellum inflictas? videbimus in q. 22.

28 *Socios &c.* Socij delicti possunt esse vel ad aliquam actionẽ principaliter, & simpliciter prohibitam, vt ad prouocandum aliquem ad duellum; vel ad prouocatorium scriptum publicandum, vel intimandum &c. Vel ad aliquam actionẽ principaliter, sed non simpliciter prohibitam, sed sub illa cõditione, si per eos non steterit quominus actio illa executioni mandetur; vt sunt scribentes, dictantes, consulentes &c.

Si primo modo sunt socij, statim incidunt in excommunicationem, & alias pœnas commisso illo delicto, dato quòd postea pugna non sequatur, nec actus ad pugnam proximus, vt videri poterit in q. 5. concl. 1. à nu. 2. vsque ad 8.

Si secundo modo, non incidunt statim, sed quando per eos non steterit, quominus illud delictum sequatur, vt similiter videri poterit in d. q. 5. concl. 2. à nu. 8.

29 *De industria spectatores &c.* Non omnes spectatores puniuntur per hanc Constitutionem, sed ij tantùm, qui sunt de industria spectatores, vt sunt ij, in quorum præsentia duellum cõmittitur, qui tanquam testes facti adsunt: Vel ex composito, id est dedita opera adsunt, quia eorum præsentia duellantes efficaciter inducuntur ad duellandum. Cæteri verò, qui casu, & non dedita opera sunt spectatores, non puniuntur ab hac Constitutione; quamuis quandoque peccent mortaliter, vt sunt, qui adsunt cum aliqua complacentia, vel periculo; vel

possunt

possunt dirimere pugnam, & obuiare illi malo, & non obuiant, vt docet Sylu. in verbo Ludus. §. 8. & in verb. Curiositas. §. 3. & in nostris terminis Sanchez in Præceptis Decalogi. lib. 2. cap. 39. num. 31.

Vel adsunt absque displicentia saltem in ratione, vt per eundem Syl. in verb. Duellum. num. 5. in fine. & Nauar. in Manuali cap. 15. nu. 9. in fine.

Et quanuis Pius IV. loquatur simpliciter de astantibus absque distinctione, & Conc. Trident. similiter de spectatoribus; tamen Gregorius XIII. quasi declarando illa verba non dixit simpliciter spectatores, sed ex composito spectatores.

Et Clemens VIII. cùm in hac sua Constitutione intendat declarare superiores, vt patet ex vers. Ac insuper &c. dixit clariùs, de industria spectatores: & isti tantum puniuntur pœna excommunicationis, & cæteris pœnis.

Nam leges generaliter loquentes Limitantur, vt declarãtur per subsequentes. l. non est nouum. cum duabus sequentibus. ff. de legibus. Nauar. cons. 39. & 79. de Regularibus.

Alij verò quanuis quandoque peccent, nõ tamẽ puniuntur.

Sed ponamus quòd pugna non sequatur, nec actus ad pugnam proximus, nunquid de industria spectatores erunt excõmunicati in hoc casu? vide infra in q. 35.

Nisi in mortis articulo constituti &c. Vtrum in foro pœnitentiæ, extra mortis articulum possit aliquis absoluere à dicta excõmunicatione, vide infra in q. 37. & 38. vbi latè tractatur. 30

Finis Expositionis Textus Constitutionis.



QVAESTIO I.

Duellum propriè sumptum diuersis finibus fieri solebat, vt dictum est supra in tertio Præmisso: Quæritur nunc, vtrum quocunque fine fiat, incidant duellantes, & alij transgressores huius Constitutionis in pœnas in ea contentas?

SVMMARIVM.

Essentialia poni solent in Definitionibus. nu. 1.
Verba sunt interpretanda prout plurimùm sumuntur. nu. 2.
Odiosa & pœnalia sunt restringenda. nu. 3.
Intentio est magis attendenda, quàm verba. nu. 4.
Ex prohemio colligitur intentio auctoris. nu. 5.
Lex pœnalis quando extendatur ad casum alium non expressum? num. 6.
Leges prout sunt vsu receptæ, interpretari & intelligi debent. nu. 7.
Constitutio, quæ fit ad roborandum, & interpretandam aliam, secundum eam intelligenda est. nu. 8.
Lex humana punit actionem externam, non autem intentionem: num. 9.

IN hac quæstione pars negatiua prima fronte videtur verior, nempe quòd non quocunque fine fiat duellum, incidant duellantes in dictas pœnas, sed solummodò quando fit ad ostendendũ diuinum iudicium.

Probatur primò ex definitione ipsius duelli, quam tradunt Doct. in c. Monomachiã. 2. q. 4. quos refert, & sequitur Turrecremata ibid. num. 3. & Syl. in verb. Duellum. nu. 1. Duellum secundum ipsos est singularis pugna duorum, aut per victoriam vnius appareat eius iustitia, & alterius iniustitia, tanquam per diuinum iudicium. Ergo de essentia duelli est, vt fiat ad probationem veritatis, & ostendendum diuinum iudicium; nam essentialia poni solent in definitionibus, vt docet Aristot. in 1. Topic. cap. 4.

Secundò verba sunt interpretãda prout plurimùm sumũtur,

tur, vt docet Panorm. in c. ex litteris. il 1. num. 5. de spons. & matrim. Sed duellum vt in pluribus sumitur pro duello, quod fit ad veritatem indagandam, vnde ab aliquibus dicitur iudicium, eo quod ibi expectetur iudicium Dei secundum ipsos, vt affirmat Syl. in verb. Duellum. num. 1. Igitur de hoc proprio duello tractatur in hac Constitutione.

Tertiò odiosa, & pœnalia sunt restringenda. c. odia. de Regul. iur. in 6. Ergo potiùs debemus restringere pœnas huius Constitutionis ad duellum propriè sumptum, & factum ad ostendendum diuinum iudicium, quàm ampliare ad duella quocunque fine facta. 3

Tamen his & similibus non obstantibus contrarium omnino est dicendum, nempe duellantes quocunque fine, ligari pœnis huius Constitutionis.

Probatur primò, quia hæc fuit intentio Summorum Pontificum, & Concil. Trid. (& hæc est magis attendēda, quàm verba. cap. Marchion. 1. q. 1.) quod patet ex prohemio huius Constitutionis, ex quo finis, & intentio auctoris colligitur. c. quia propter. de elect. l. fin. ff. de hæredib. instituen. Inquit enim Summus Pontifex, quod prohibere intendit duellorum vsum, ex quo interitus, atque pernicies sequitur animarum, & corporum, & diuina Maiestas grauius offenditur. 4 5

Sed hæc omnia coniungunt non solùm in duello facto ad ostendendum diuinum iudicium, sed in omni duello cruento quocunque fine fiat: Igitur ligantur pœnis huius Constitutionis duellantes duello cruento quocunque fine fiat.

Secundò lex pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extenditur ad vsum alium non expressum, si ratio sit par simpliciter; seu eadem, vel maior, Et legislator particulariter non disponat in contrarium declinando à ratione legis propter aliquam particularem; aut priuatam considerationem, vt docet Syl. in verb. lex. §. 18. vers. & dico &c. & habetur in c. dudū. il 2. de elect. cap. cum dilecta. de confirma. vti. c. 1. de tempor. Ordin. lib. 6. Nam ratio comprehendit omnes casus etiā non expressos in lege, & Constitutione l. his solis. C. de reuoc. donationibus. Sed ratio expressa in dicta Constitutione est interitus, & pernicies animarum, & corporum, & offensio di- 6

uinæ

uinæ maiestatis. quæ ratio par simpliciter reperitur in omni duello cruento, quocunque fine fiat. Ergo omnes duellantes ligantur pœnis statutis in hac Constitutione, quocunque fine duellum ab illis committatur.

Tertiò in omni dispositione quantumcunque odiosa, & restringibili adhibere debemus interpretationem secundum cōmunem vsum loquendi, vt docet glo. in c. nonnulli. in verb. vltra. de rescript. DD. in c. olim. de verb. signifi. & Panorm. in cap. 2. de arbitr. & in cap. 1. de iudi. quia vsus loquendi præfertur proprio significatui vocabuli. c. quanuis. de verb. signif.

Sed iuxta communem vsum loquēdi Duellum dicitur omnis particularis pugna cruenta, ex vtraquè parte voluntariè suscepta quocunque fine fiat.

Igitur in omnibus supradictis duellis quocūque fine fiant, habet locum præsens Constitutio, & suis pœnis ligat omnes.

Quartò ante Concil. Trid. & Constitutionem Pij IV. duella publicè admittebantur, quocunque fine fierent: sed per Piū
7 IV. & Concil. Triden. duellorum vsus simpliciter prohibitus fuit, & ita simpliciter; & generaliter fuerunt in vsu receptæ dictæ leges. Nam postmodum nullo pacto fuerunt admissa duella publica. Ergo cùm sint ita generaliter receptæ in vsu absque vlla distinctione, sic generaliter debent intelligi, & interpretari. c. in istis. §. leges. dist. 4. l. præses. ff. de officio Præsidis. & per consequens ita interpretari, & declarare debemus præsentem Constitutionem; cùm sit confirmatiua & declaratiua tam Constitutionis Pij IV. quàm Concilij Tridentini, vt
8 patet in versiculo, Ac insuper &c. Et constitutio quæ fit ad roborandam, & interpretandam aliam, intelligenda est secundum eam, vt clarè sensit glo. quàm putat singularem Card. in Clem. statutum. in verbo Consuetudine. de electione. opposi tione 3.

9 Quintò lex humana punit actionem externam, non autem intentionem. c. cogitationis. de pœnit. dist. 1. l. cogitationis. ff. de pœnis. Sed actio externa eadem est in duello cruento commisso ex odio, vel alio fine. Igitur omnia duella prohibet quocunque fine fiant.

In contrarium verò adducta non obstant, & ad primum respondetur


spondetur negando antecedens, & consequentiam. nã alio pacto definitur ab alijs Doctoribus, vt definitum est supra in secundo præmisso.

Præterea finis operantis est extra essentiam actus externi, & per consequens est accidentalis illi, nam pertinet ad circunstantiam actus, vt docet Vasquez in prima 2. D. Tho. tomo 1. dispu. 51. cap. 2. in fi. & D. Tho. in 2. 2. q. 41. art. 6. in respon. ad primum, & in 2. sent. dist. 1. art. 1. Et Summi Pontifices, & Concil. Trid. non tantùm intendebãt prohibere finem duelli quãtum actionem ipsam duelli, ex qua interitus atq; pernicies animarum, & corporum sequitur. Vnde siue duellum sit factum ad probationem veritatis expectando ex illa occasione diuinũ iudicium, siue ad ostentationem virium, siue ex odio, vel alio fine, cum æqualiter sequatur interitus, & pernicies animarum, & corporum æqualiter prohibetur, & contrauenientes æqualiter puniuntur pœnis huius Constitutionis.

Ad secundum dico, quòd quamuis duellum vt plurimũ ad veritatis indagationem iniri soleat: tamen iuxta vulgarẽ vsum loquendi pro omni duello cruento accipi solet quocunq; fine fiat. Et ita interpretari debemus, vt probatum est in tertia nostra ratione.

Ad tertium respondetur, quòd etiam in pœnalibus fit extẽsio quando ratio in lege expressa par est in vtroque casu, vt in secunda nostra ratione probatum est. Nec dici propriè potest interpretatio extensiua, sed potiùs intensiua, seu intellectiua, quia ratio est anima legis. l. non dubium. C. de legib.

Post primam impressionem præsentis Tractatus legi Sanchez in Præceptis Decalogi. lib. 2. cap. 39. nu. 23. & 24. vbi hãc eandem quæstionem tractat, & est eiusdem opinionis.



QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrum Duellum, vt sumitur in hac Constitutione, sit in aliquo casu licitum, vel omnino prohibitum.

SVMMARIVM.

Duellum est omnino prohibitum. num. 1.
Duellum est prohibitum lege diuina. num. 2.
Prohibito vno prohibetur omne id, per quod peruenitur ad illud. num. 3.
Duellum est illicitum iure naturali. num. 4.
Duellum est illicitum iure canonico. num. 5.
Duellum est illicitum iure ciuili. num. 6.
Dauid ex diuina reuelatione duellum iniit cum Philistaeo. nu. 7.
Defensio est de iure naturae. num. 8.
Duellum non tendens ad effusionem sanguinis non est prohibitum. num. 9.
S. Ludouicus Galliae Rex duella fieri prohibebat. num. 10.
Tolerare minora mala potest qui habet curam Communitatis ad euitanda maiora: nunquam tamen licite poterit dare auctoritatē mala culpae minoris faciendi, & maxime mortalia ad euitanda maiora. num. 11.
Duella permittere, vel tollerare hodie, non licet, nec expresse, nec tacite. num. 12.
Occidere hominem licet pro defensione honoris, & rerum temporalium. num. 13.
Regula, cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus, procedit quando plus, & minus sunt ejusdem speciei. num. 14.
Eadem ratio, quae est de toto quo ad totum, est de parte quoad partem. num. 15.
Ex bello ad duellum descendere regulariter non licet, etiam ad parcendum multitudini: fallit quando habentem iustum bellū oportet succumbere, vel acceptare duellum. num. 16.

RESOLVTIVE respondendo, dico omnino esse prohibitum tam respectu prouocantis, quàm prouocati, vt patet ex hac Constitutione in Proemio, vbi summus Pontifex inquit nō solùm esse illicitum, sed etiam exitiale, & enorme peccatū. Et cum generaliter, & absque distinctione loquatur, generaliter debet intelligi. c. solitæ. §. fin. de maiorit. & obedientia. l. de pretio. ff. de public. in rem act. & sic in omni casu erit illicitum indicere, vel acceptare duellum. Et paulò post inquit Clem. VIII. Rectè, & salubriter felicis recordationis Pius Papa IV. prædecessor noster post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum diuina, naturalique lege, ac sacris Canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam Constitutionibus seuerè prohibuerunt, &c. Et confirmatur. 1

Primò enim est prohibitum duellum lege diuina, quia ille actus est prohibitus iure diuino, per quem fit tentatio: sed per duellum fit Dei tentatio: Ergo talis actus est prohibitus. Maior patet ex c. 6. Deuteron. & c. 4. Matth. ibi, Non tentabis Dominum Deum tuum. Minor patet ex cap. Monomachiam 2. q. 4. in fine. 2

Præterea homicidium iure diuino est prohibitum, vt patet ex præcepto Decalogi, Non occides, & c. 20. Exodi. & cap. 5. Matth. Ergo & duellum.

Probatur consequentia. Nam prohibito vno, prohibetur omne id, per quod peruenitur ad illud. cap. Præterea. de offic. Delegati. l. oratio. ff. de sponsal. sed per duellum ad homicidiū tenditur, & peruenitur: Ergo prohibito à iure diuino homicidio, ab eodem iure erit prohibitum & duellum. 3

Secundò duellum est illicitum lege naturali. Nam ille actus est illicitus, & prohibitus lege naturali, quod repugnat naturali rationi: Sed ex duello sæpe prouenire solent mortes hominū, mutilationes membrorum, vulnera, & animarum pericula, quæ repugnant naturali rationi: Igitur est illicitum. 4

Amplius naturali rationi conuenit delinquentes punire, & innocentes absoluere: sed in duello quandoque contingit contrarium, vt patet in cap. 2. de purga. vulg. Ergo est illicitum de iure naturæ. 5

Ter-

5 Tertiò est prohibitum lege Canonica per tex. in cap. 1. extra de purgat. vulg. & in cap. Monomachiam. 2. q. 4. Et per diuersas Bullas Pontif. & præcipuè per Bullam Pij IV. quæ est 25. in Bullario, per Bullam Gregorij XIII. quæ est 82. in Bullario, per Decretum Concil. Trid. in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformat. & per præsentem Bullam Clem. VIII.

6 Quartò etiam iure ciuili dánatum est duellum, vt in l. vnica, C. de gladiatoribus lib. 11. & alijs iuribus. Ergo cùm per omnia supradicta iura sit prohibitum, & damnatum duellum simpliciter, & generaliter, & absque vlla distinctione, vel limitatione, debemus concludere in nullo casu esse licitũ, sed omnino esse prohibitum, & damnatum, iuxta text. in cap. solitę. §. fin. de maiorit. & obedientia. & l. de pretio. ff. de publi. in rem act. Et ita docent Abulensis in primo Regum tomo 2. cap. 17. quæst. 45. Hostiensis in summa Tit. de Clericis pugnant. in duello. num. 2. Sylu. in verb. Duellum. quæst. 2. vbi num. 4. ait hanc esse opinionem Doctorum non solùm sui ordinis, sed etiam aliorum. Mich. Salon in 2. 2. D. Thom. quæst. 64. art. 3. controu. 3. concl. 3. Alexand. de Ales. in 4. par. quæst. 11. memb. 2. artic. 2. §. 4. q. 4. Turrecremata in cap. Monomachiam. 2. q. 4. & communiter V. I. DD. vt videri poterit in tomo primo communium opinionum lib. 4. in fin. in verb. duellum. vbi referuntur. Verùm quia in contrarium multa obstare videntur, oportet illa adducere, & soluere.

Primò enim obstare videtur factum Dauid, qui voluntariè duellum inijt, vt patet ex primo Reg. cap. 17.

7 Sed respondetur, quòd Dauid illud duellum inijt ex diuina reuelatione, Vnde procedens contra Philistæum dixit, Ego venio contra te in nomine Dei viuentis: Et sic Dauid non fuit propriè duellator, sed potius diuinæ iustitiæ executor: Ita docet Nicolaus de Lyra in 1. Reg. c. 17. & Caiet. in 2. 2. D. Thó. q. 95. art. vltimo in resp. ad Tertium Salon in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 3. controu. 3. concl. 2. & Abulensis in 1. Reg. tomo 2. c. 17. q. 44. & q. 45.

8 Secundò obstare videtur, Nam vnicuique licitum est se defendere, quia defensio est de jure naturæ. cap. ius naturale. distin. 1. Si ergo aliquis non potest aliter defendere vitam pro-

priam,

priam, quam duellum suscipiendo, videtur quod tale duellum sit licitum.

Sed respondetur negando consequentiam: licet enim iure naturali quilibet licitè possit contra inuadentem casu occurrente ineuitabilis necessitatis se defendere, & tueri; non tamen propter hoc sequitur, quòd possit licitè oblatum duellum cruentum, & cum discrimine propriæ salutis suscipere.

Sed difficultas consistit in cognoscendo quando sit Defensio & quando Duellum.

Defensor enim ille solus dicitur, qui inuasus ab aliquo actu aliquo aggressore, propria manu ita inuaditur, vt necesse illi omnino sit aut pugnare, aut perire. Ita docet Abulensis in lib. 1. Reg. tomo 2. cap. 17. q. 45. & Mich. Salon in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 3. controu. 3. conclu. 3. in fine.

Duellũ verò voluntariè ex vtraque parte assumitur, vt probatum est supra in definitione Duelli. Et licet quis non absolutè, sed conditionatè cogatur duellũ indicere, vel acceptare; non per hoc sequitur, quod non sit duellum; quia coacta volũtas in hoc casu voluntas est. cap. merito quæritur. 15. q. 1. l. si mulier. §. si metu. & ibi glo. in verb. volui. ff. de eo quod metus causa. Sylu. verb. duellum. nu. 4. Nec in hoc casu duellans dici potest defensor sui, sed dicitur aggressor, vel congressor. Ita Abulensis, Salon, & Syl. in locis præallegatis.

Tertiò obstare videtur l. qua actione. §. si quis in colluctationem. ff. ad leg. Aquil. vbi dicitur, quod cessat actio pœnalis cõtra occidentem in duello, quando duo pugiles colluctantur. Et ita videtur lege ciuili permissum duellum.

Respondetur, quòd lex illa intelligitur, quando Duellũ nõ est cruentum, siue tendẽs ad effusionem sanguinis: vt cum aliqui brachijs colluctantur, vel similibus modis. Et hoc genus colluctandi nõn est inhibitum iure ciuili, immo permissum ad populi lætitiam, vt in C. de spectaculis lib. 11. per totum.

Quartò obstare videtur, quòd multi Principes sanctæ vitæ, & qui bonorum consilio vtebantur, aliquando duella tolerauerunt seu concesserunt, vt Beatus Ludouicus Rex Franciæ, & Carolus Magnus, & alij Archiepiscopi, & Prælati iurisdictionem temporalem habentes, vt refert Nicolaus de Lyra

super 1. Reg. cap. 17. Igitur videntur licita.
10 Respondetur, quòd de S. Ludouico contrarium legitur in eius gestis. Laudatur enim de hoc inter cætera, quòd duella fieri prohibebat, vt refert Turrecremata in cap. Monomachiã 2. q. 4. Cæteri verò malè fecerunt concedendo, si erant cum periculo vitæ, vel membrorum, vel tendentes ad effusionem sanguinis, de quibus loquimur, cùm sit illicitum.
Quintò obstare videtur, quia ei, qui habet curam alicuius Communitatis, licitum est minora mala permittere ad euitanda maiora: sicut licitè permittuntur meretrices in Ciuitatibus, ne omnia turbentur libidinibus. Sed quando aliqui nobiles, & potentes habent inter se inimicitias, & vnus interficit familiares, vasallos, vel consanguineos alterius, quæ inimicitia ex longa consuetudine remoueri non potest, quamuis superiorem habeant, tunc si superior probabiliter videt, quod per duellum ista vastatio, & inimicitia terminari potest, non videtur illicitum tale duellum ad euitandum innocentium occisiones.
11 Respondetur, quòd licet qui habet curam Communitatis tacitè non puniendo, possit tolerare minora mala ad euitandum maiora. cap. denique, iuncta glo. in litera h. dist. 4. & docet D. Thom. in 2. 2. q. 10. art. 11. & ibi Caiet. Nunquam tamen videtur, quòd licitè possit dare authoritatem, mala culpę minoris maximè mortalia faciendi ad euitandum maiora, vt docet Apostolus in Epist. ad Romanos cap. 3. & Syl. in verb. permissio. in fin. & alij. Nec est simile tolerantia meretricum, quoniam aliud est tolerare non puniendo, quòd sint meretrices, & aliud dare authoritatem, quòd aliquæ fiant meretrices. Vnde aliud est tolerare aliqua duella si contingat quòd fiant, & aliud dare licentiam, & authoritatem fiendi.
12 Hodie verò nec tacitè, nec expressè licet duella permittere, nec tolerare: Immo Domini tẽporales, & Magistratus permittentes, vel quantùm in ipsis est non prohibentes, vel post admissum crimen veniam concedentes peccãt mortaliter, & sunt excommunicati præter alias pœnas, quas incurrunt per Concil. Trident. & alias Constitutiones statutas: quia experientia teste non solùm non euitantur maiora mala eorum tolerantia,

lerantia, quinimo est occasio, & fomentum malorum, & scandalorum, & maximam perniciem Reipublicæ affert: & ideo vt malum & illicitum fuit prohibitum per Pium IV. Cōcilium Tridentinum, Gregorium XIII. & Clementem VIII. in ver 12
sic. & non solùm &c. & ita etiam docet Lucas Floronus in tract. de prohibitione duelli. c. 30. §. 2.

Sextò obstare videtur, quia licitum est hominem occidere non solùm pro defensione honoris, sed etiam rerum, vt docet Syl. in verb. Bellum. 2. §. 2. & Nauar. in Manuali cap. 15. num. 2. & Salon in 2. 2. D. Thom. quæst. 64. art. 3. controu. 2. conclu. Igitur licitum est etiam duellare, quod est minus, c. cui licet. de Reg. iuris in 6. 13

Respondetur negando consequentiam nam regula Cui licet, procedit quando plus, & minus sunt eiusdē speciei, vt per Dynum ibi, & per Decium in l. non debet. ff. de regul. iur. nume. 50. At defensio, & duellum sunt diuersæ speciei: defensio enim est de iure naturæ licita, & occisio quæ accidit pro defensione est per accidens, & præter intentionem. Duellum verò cruentum est illicitum omni iure, & ex se malum, & ideo in nullo casu licet nec offerre, nec oblatum suscipere. Ita Alex. de Ales in 4. part. quæst. 11. memb. 2. art. 2. §. quarto, quæstio. 4. Turrecremata in cap. Monomachiam. 2. quæst. 4. Syl. in verbo duellum. num. 4. & Salon in 2. 2. D. Thom. quæst. 64. artic. 3. controu. 9. conclus. 4. per totam, & alij superiùs allegati num. 6. 14

Præterea cùm alter inuadit actu res tuas cū iniuria, ius dat tibi potestatem, vt in continenti proposita vita alterius possit seipsum armare conseruando efficaciter res suas: At post illatam iniuriam in rebus, aut lite pendente, alterum ex condicto velle occidere in duello, non esset res defendere, sed vindicando iniuriam esset eas, vel earum compensationem repetere. Quæ vindicta non nisi ad superiorem pertinet, & quidem extra duellum per viam scilicet bellicam, aut iudicialem. Ita docet Gregorius de Valentia in 3. tomo disput. 3. q. 17. puncto primò, versic. nec quartò &c.

Septimò obstare videtur, quia conuocare multitudinem, & publice bellare aliquando licet, vt rectè probat D. Tho. in

2.2. q.40.artic.1. Immo in Ecclesia sunt institutæ Religiones ad militandum armis: Et multi Imperatores Catholici ex cō silio Summorum Pontificum bella gesserunt. Igitur & duel-
15 lare licet, cùm sit priuatum bellum, quia eadem ratio, quæ est de toto quoad totum, est de parte quoad partem l. quæ de tota. ff. de rei vindic. & cap. Pastoralis de offic. Legati.
16 Respondetur, quòd alia est ratio de bello, & alia de duello, vt rectè demonstrat Caietan. in 2. 2. D. Thom. quæstio. 95. artic. 8. in respon. ad tertium. Vnde nunquam ex bello siue sit vendicatiuum, siue defensiuum licet ad duellum descendere, etiam ad parcendum multitudini. Et ratio est, quia bellum iustum aut est vendicatiuum, aut defensiuum. Si est vindicatiuum indicens bellum gerit personam iudicis, vtens publico gladio contra extraneos perturbatores Reipublicæ eadem ratione, qua vtitur contra extraneos perturbatores. Huiusmodi autem Iudex, & vindex fungitur persona, & officio agentis: Agens autem debet superexcedere patiens vt possit illud sibi subijcere. Et propterea huiusmodi bellum non debet indici nisi à potentiori; & licet varius sit euentus belli, humana tamen ratione quasi certa debet esse victoria, aut saltē non succumbere: quemadmodum Iudex contra internos perturbatores pacis non procedit nisi habēs tot satellites, vt sit quasi certus, quòd capiet malefactores. Hoc autē in duello seruari non potest, quia in singulari certamine par est vtriusque conditio, & dubius euētus, & periculosè consulitur Cōmunitati, & cum magno eius præiudicio. Et ideo licet quandoque licitū sit indicere bellum, nunquam tamen licitū erit indicere duellum; quia est contra rectam rationem ex suo genere.

Si verò bellum iustum est defensiuum, & cū multitudine forti potest iniuriā repellere, & se defendere, nō licet ad duellū descendere, & vnius periculo se exponere: quia oportet imitari res naturales, quę quantùm possunt, resistunt cōtrarijs suis. Et ideo in huiusmodi bello fortificari debet, quātùm fieri potest virtus resistiua, & propulsatiua iniuriæ. Nā in duello debiliter, & periculosè consulitur huic defensioni, & contra rectam rationem esset, & cum præiudicio Communitatis non paruo, de bello ad bellum descendere.

Quando verò pars habens iustum bellum defensiuum cognoscit vires suas debiliores, & quod oportet aut succũbere, aut acceptare duellum: Et in hoc necessitatis articulo non solum licitum esset acceptare duellum, sed etiam prouocare ad illud, vt rectè docet Caiet. in 2. 2. D. Tho. q. 95. art. 8. in respõ. ad tertium, Gregorius de Valentia tomo 3. disput. 3. q. 17. pũcto primo, Nauarr. in Manuali cap. 11. nu. 39. & alij, quos refert, & sequitur Gregorius Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ. cap. 13. num. 16. & Sanchez in Præceptis Decalogi, lib. 2. cap. 39. num. 16. Nam licet secundum apparentiam duellum videatur, tamen secundum veritatem non est nisi defensio contra inuadentem actualiter propria manu, ita vt necesse illi sit aut duellare, aut succumbere, & perire, & sic est vera defensio secundum regulam traditam supra nu. 8. in resp. ad secundum 1. vers. sed difficultas consistit.

Vnde reiectis contrarijs remanet firma conclusio Duellum omnino esse prohibitum, nec vllo casu licitum tam respectu prouocantis, quàm prouocati.

Quæ conclusio ampliatur procedere siue duellum sit publicum & solemne, siue priuatum; De duello publico habetur in Bulla Pij IV. & in Decreto Concilij Trid. De priuato verò in Bulla Gregorij XIII. in versic. quinimo de nouo. &c. ibi, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque publicè, vel priuatim, palã, vel occultè &c. Per constitutionem verò Clementis VIII. simul prohibetur publicum hoc est solemne, & priuatum, hoc est non solemne, nam approbat, & innouat tam Bullam Pij IV. & Decretum Concil. Trid. quàm Bullã Gregorij XIII. Et eadem ratio, quæ duellum publicum, & solemne prohibitum est, militat etiam in duello priuato; vt probabilius infra in quæst. 12.

Ad propositum huius quæstionis vide etiam quæ dixi supra in 3. præmisso.

QVAESTIO III.

Actiones ab hac Cõstitutione punitæ sunt vel malæ, quia prohibitæ iure humano huius Constitutionis tantùm: vel prohibitæ, quia malæ, idest prohibitæ iure diuino, vel naturali, vel humano antiquiore.

SVMMARIVM.

De duobus malis minus est eligendum quomodo intelligatur. numero 1. & 5.

Omnia, quæ in hac Constitutione prohibentur fuerunt prohibita, quia mala. num. 2.

Finis & intentio auctoris ex prohemio colligitur. num. 3.

Cessante causa finali cessat iuris dispositio. num. 4.

Quicunque legitimè, & secundum iura interrogatur, tenetur quam scit veritatem confiteri, siue testis is fuerit, siue reus. nu. 6.



XISTIMARE posset aliquis multas actiones fuisse prohibitas, & punitas, quia malæ erãt, id est, ab antiquioribus iuribus prohibitæ: aliquas vero esse malas, quia ab hac Constitutione sunt prohibitæ, & punitæ.

Prima pars est clara. Probatur Secunda, in qua consistit difficultas.

Primò, quia cùm duo inimici intẽdunt se ad inuicem interficere, vel duellare, aliàs nolunt pacem habere, tũc duellare cũ pacto de dirimẽdo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, & postea pacem habere,
1 non videtur illicitum, quia de duobus malis minus est eligendum, ex Concilio Toletano relato in cap. duo mala. 13. dist. Sed in hac Constitutione tale duellum prohibetur, & punitur, vt patet in versic. Nec non ijsdem pœnis &c. Ergo malũ, quia prohibitum.

Secundò Principes, & eorum Locumtenentes, & alijs Superiores Magistratus possunt de iure veniam, & impunitatem concedere delinquentibus propter aliquã iustam causam men

tem eorum mouentem, & maximè vbi non adest præiudicium tertij, vt quotidie in praxi videmus. Sed in hac Constitutione puniuntur Domini, & Magistratus, Duces, & Capitanei & de hoc delicto post admissum crimen veniam, & impunitatē concedentes, vt patet in vers. Et non solùm &c. Igitur malū, quia prohibitum ab hac Constitutione.

Tertiò, quando ex aliquo facto oritur suspicio mala contra aliquem, vel à maleuolis aliquod verbum, vel factū interfuisse asseritur, quòd præiudicium alicuius honori affert, tunc narrare tale factum iuxta eius veritatem in scriptis, siue per epistolā, siue per fidem ad veritatem ostendendam non est de sui natura malum, nec à lege aliqua improbatum, immò testis tenetur ad testificandum iuxta doctrinam D. Thom. in 2. 2. q. 70. articu. 1. in corpore, & maximè quando hoc fit ad instantiā partis, & ad defensionem honoris. Sed in hac Constitutione tales narrationes prohibentur, & puniuntur, vt patet in vers. Dū scilicet in illis. Igitur malæ, quia prohibitæ ab hac Cōstitutione.

Quartò, quando aliquis aliquo modo est iniustè iniuria affectus ab aliquo, potest licitè arguere cum mendacio, vel dicere, mentiris, quia illud verbum mentiris in illo casu non est propriè iniuria, sed repulsatio iniuriæ, & defensio, vt docent infrascripti Doctores, Emanuel sa in suis Aphorismis Confessariorum expurgatis à sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium Titulo Infamare, & Fama, nu. 4. vers. Nō potes &c. Franciscus Arretinus sacræ Theologiæ Lector in sua practica criminali Canonica, in tertio substantiali iudicio, cap. 4. in fine, vers. Dico secundo &c. fol. mihi 222. Michael Salon in 2. 2. D. Tho. q. 70. art. 3. conclusione 3. & in comento dictæ conclusionis in principio & in fine, Dominicus Soto de Iustitia, & Iure lib. 5. q. 9. art. 3. col. vltima, vers. Non licet &c. Gregorius de Valentia in Tom. 3. Disput. 5. q. 26. puncto 3. §. Potes autē Sayrus in lib. 12. Clauis Regiæ cap. 4. nu. 12. 13. & 14. Colligitur etiam ex doctrina D. Tho. q. 72. artic. 3. in corpore, versic. Quandoque tamen, Panor. in c. cum Z. & A. de sens. & Re iudic. nu. 25. vers. Ego vero distingo. Felinus in c. Dilecti nu. 10. de Exceptionibus, versic. Tribus tamen modis. Bartol. in l. Quæ omnia, nu. 1. de Procuratoribus. Farinacius in sua pra-

di, crim. par. 2. Tit. de Homicidio. q. 125. part. 7. §. 4. nu. 516. Sed in hac Constitutione prohibetur, & punitur aliquod tale dicens, vt patet in versic. vel ex simili abusu. &c. Igitur malū quia prohibitum.

Quintò si ex aliquo facto dubio, vel ex aliquibus verbis ambiguis oritur infamia contra aliquem; tunc petere declarationem, vel declarare quo sensu dicta sint illa verba, vel illud factum sit, ad tollendam infamiam, non est illicitum, nec aliqua lege prohibitum: sed in hac Constitutione in vers. Aut ad hūc effectū &c. prohibetur & punitur. Igitur mala, quia prohibita.

His tamen non obstantibus dicēdum mihi videtur omnia quae in hac Constitutione prohibentur fuisse prohibita, quia erant mala, non autem esse mala tantum quia prohibita.

Probatur primò ex proœmio praesentis Constitutionis ibi, vt easdem animas inaestimabili pretio redemptas adhersus Sathanae fraudes, quantum in nobis est, illaesas praeseruemus: praesertim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitialia quaedam, atque enormia peccata, quibus Diuina Maiestas grauius offenditur, quaeque eodem fabricante humani generis hoste inuenta, atque introducta sunt, vt ex cruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.

3 Nam finis & intentio auctoris ex proœmio colligitur. c. quia propter. de elect. & l. fin. ff. de haered. instit. & docet Nauar. in Commentario Constitutionis de datis, & promissis not. 3. num. 7. in fine.

Secundò colligitur ex verbis positis in versi. vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quaecunque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusq; delicti socios.

Tertiò Constitutio, quae fit ad roborandam, & interpretandam aliam, intelligenda est secundum eam, & cōcludenda terminis eius. ita docet glo. quam putat singularem Card. ibi oppositio tertia in Clem. statutum. in verb. consuetudo de elect. Addens quòd easdem extensiones, & limitationes, quas recipit interpretata, debet recipere interpretans, & eam sequitur Felinus in cap. 1. de iureiur. nu. 4. Sed praesens Constitutio approbat, confirmat, innouat, & declarat Cōstitutiones Pij IV. Gre

gorij XIII. & Decretum Concilij Trident. quæ Constitutiones prohibent,& puniunt facta, & actiones damnatas ab alijs legibus antiquioribus. Nam pius IV. prohibuit detestandum diuina, naturaliq; lege, ac sacris Canonibus damnatum duellorum abusum: & Conc. Trid. prohibet detestabiles duellorum vsus: sic etiam & Greg. XIII. igitur illa tantùm prohibêtur hic, quæ diuina, naturalique lege, ac sacris Canonibus erāt anteà prohibita; & sic prohibita, quia mala.

Vnde hæc Constitutio puniens actiones contentas in ea, est regulanda secundum antiqua iura naturalia, diuina, & humana, quibus antea illæ prohibebantur, & intelligenda, restringēda, & extendenda ad terminos illorum; & consequenter restringenda ad ea tantùm, quę per illa sunt prohibita, & illicita, 3
& non extendenda ad illa, quæ non sunt per illa prohibita, neque illicita; Quia causa finalis huius Constitutionis videtur fuisse obseruantia illorum: Cui obseruantiæ nō est locus quoad illa, quæ in eis non includuntur. Vnde cessante causa finali 4
cessat dispositio. c. cum cessante. de appellat. l. adigere. §. quamuis. de Iure patronat.

Et licet præsens Constitutio Clement. VIII. extendatur ad alios vsus, qui non comprehenduntur in Bulla Pij IV. Greg. XIII. & aliorum Pontificum: Nec in Decreto Concilij Tridentini, vt patebit infra q. 4. num. 7. 13. 14. & 15. & alijs in locis, nunquam tamen extenditur ad casus nō prohibitos per legem Diuinam, vel Naturalem, vel aliquam legem humanā; Et sic extensio est in eadē specie, de actionibus illicitis & prohibitis, & nunquam extenditur ad actiones non prohibitas, vel illicitas aliquo pacto ante dictam Constitutionē Clem. VIII.

In contrarium verò adducta non obstant. Et primùm non obstat: quia duellum cruentum semper fuit illicitum non solùm de iure positiuo, sed etiam de iure naturæ, vt supra probatum est in q. 2. & ad cap. Duo mala dico, quod loquitur, quan 5
do cogitur homo ad alterum faciendum. In casu verò nostro non necessitatur, sed voluntariè suscipitur ex vtraque parte, quia aliàs non esset duellum: Et secundum Apostol. ad Rom. cap. 3. non sunt facienda mala, vt veniant bona.

Secundum non obstat: quia Summus Pontifex loquitur

de

de illis, qui nullo pacto puniunt tale delictum, vel si puniūt per suas leges, tamen passim, & absque legitima causa impunitatem concedunt: Vel sunt negligentes ad puniendum; vel ad euitandum quando prohibere, & euitare possunt. Nam in istis casibus mortaliter peccant, qui sua venia, & impunitate ansam, & occasionem peccandi præbent.

Principibus verò, qui Superiorem non recognoscunt in temporalibus, vel supremis Magistratibus, qui potestatem habent faciendi gratias, non est prohibitum aliqua iusta causa interueniente veniam pro hoc delicto concedere, vel in totum relaxando pœnam, vel in partem iuxta text. in cap. Nisi specialis, de offic. Legati. & ibi Panor. num. 2.

6 Tertium non obstat. Nam vel illa narratio siue testificatio fit in iudicio, vel extra. Si in iudicio, non peccat, nec est excommunicatus, quia quicunque legitimè, & secundum iura interrogatur, tenetur, quam scit veritatem palam confiteri, siue testis is fuerit, siue reus. Ita docet Sot. de rat. tegend. secr. mēbro 2. q. 7. concl. 1. Si extra iudicium, vel fit ad pacem componendam, & licet: Vel fit ad defensionem tantùm honoris absque periculo, vel dubio duellandi, & eodem pacto licet.

Vel fit oretenus amicis, qui factum scire cupiunt propter aliquam causam iustam, & licet: Vel etiam propter curiositatē, non tamen adest periculum duellandi, & mortaliter non peccant, nec sunt excommunicati.

Et quāuis ex narrationibus, vel iustificationibus hoc pacto factis oriatur, vel potiùs capiatur occasio duellandi, vel prouocandi ad duellum, tunc quia illa occasio non fuit intenta, nec præuisa, sed merè per accidens non peccarunt, nec sunt excommunicati. Si verò fiat illa narratio, vel testificatio per scripturam, vel ore tenus ad finem, vt ex illa formetur duellum, vel prouocatio ad duellum, vel aduertit, vel debet aduertere, quod potest esse proxima occasio ad id faciendum, & tunc siue fiat ad suspitionem tollendam, siue ad tuēdum honorem, vel propulsandam iniuriam, aut ad contumeliæ probationem, semper mortaliter peccat, & est excommunicatus, quia non licent huiusmodi narrationes, testificationes, & fides hoc pacto, cùm sint proximæ occasiones duellorum. Et hæc

sunt,

sunt, quæ per præsentem Constitutionem puniuntur, quia mala sunt.

Quartum non obstat, quia vel illa repulsatio iniuriæ siue mẽtita profertur eodem tempore quo illa iniuria est effectus, & tunc ab hac constitutione non punitur, quia est prolata in rixa, & in calore iracundiæ; Et sicut prouocatio ad duellum facta in rixa, & in calore iracundiæ non punitur ab hac Constitutione, vt infra probabimus in q. 18. ita etiam & mentita in eodem tempore, & modo prolata. Vel profertur ex interuallo tẽporis præcedente, & lata opera, & punitur, quia arguere aliquẽ de mendacio in hoc casu est iniuria grauis ex communi homi num extimatione, & per consequens peccatum mortale, vt docet D. Thom. in 2. 2. q. 72. art. 2. in corpore. Nauar. in Manuali cap. 18. num. 10. & Bartholom. Fumus in sua Summa Armilla in verb. iniuria. nu. 2. ideo punitur ab hac Cõstitutione, quãdo occasionem proximam præberet duellandi, vt patet in præsenti Constitutione, vers. vel ex simili abusu, & versic. vel denique offert se. & versic. Præterea pari ratione. ibi, *occasionem præbeat*. iuncto vers. nec non quascunque sine scripto, &c.

Nec excusari potest sub specie defensionis, quia defensio est licita in actuali offensione, vel agressione, vt probatũ est supra in q. 2. nu. 8. vers. sed difficilius consistit & c. Transacto vero illo tempore, offensus habet actionem iniuriarum in iudicio.

Quintum non obstat, quia vel declaratio, siue petitio declarationis fit in iudicio iuris ordine seruato, & tunc non peccat, nec punitur ab hac Constitutione. Vel fit extra iudicium, & tunc vel in rixa & calore iracundiæ, vel dedita opera.

Si primo modo, non incurrit pœnas huius Constitutionis, quia loquitur de actionibus factis animo deliberato ex interuallo temporis præcedente, vt supra dictum est.

Si secundò modo, nempe dedita opera, vel potest occasionẽ duellandi proximam præbere, & tunc peccat mortaliter, & incurrit pœnas in hac Constitutione positas, vt patet in præsenti Constitutione vers. Aut ad hunc effectum. Si verò non, sed fit ad tollendam tantùm infamiam, absque periculo duellandi, non peccat, nec incurrit in aliquam pœnam; quia vbi non est culpa non debet esse pœna. cap. cognoscentes. extra de Constit.

l. si putator. ff. ad leg. Aquil. l. sancimus. C. de pœnis.

Ex his, quæ dicentur in sequenti quæstione, melius patebit veritas huius conclusionis.

QVAESTIO IIII.

Quæritur quot, & quæ sint actiones prohibitæ, & punitæ per hanc Constitutionem, & qua lege ante ipsam.

SVMMARIVM.

Duellum publicum prohibitum est. num. 1.

Duellum priuatum est prohibitum. num. 2.

Duellum etiam in castris est prohibitum. num. 3.

Duellum est prohibitum etiam si pactiones initæ sint de dirimendo certamine. num. 4.

Duellare volentes puniuntur per Greg. XIII. etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi. nu. 5.

Duellantes puniuntur non solùm quando singuli cum singulis pugnant, sed etiam quando bini, vel terni. num. 6.

Prouocatio ad duellum prohibetur, & puniuntur prouocantes, dato, quòd prouocatio non sit acceptata. nu. 7.

Consilium, auxilium, vel fauorem ad duellum dari prohibetur, & similiter arma, pecuniam, & alia subministrari. nu. 8.

Probare aliquid cum armis, vel ad id se offerre prohibetur etiam contra certam, vel incertam personam. num. 9.

De industria duellum spectantes puniuntur. num. 10.

Domini locorum, & Magistratus, Præsides, Locumtenentes, militum Duces, & Capitanei duellum permittentes puniuntur. num. 11.

Suadentes duellum, vel prouocationem ad duellum, acceptantes, mandantes, instigantes, socij quoque duellantium, patrini, & alij puniuntur. num. 12.

Narrationes, & Testificationes ad duellum pertinentes prohibentur. num. 13.

Affirmare, vel negare aliquid ad duellum pertinens est prohibitum. num. 14.

Pro-

Prouocatorios, vel publicos libellos scribentes, publicantes, vel imprimentes puniuntur. num. 15. & 16.

Ciuitates, & Terra, in quarum territorijs duellum commissum est, supponuntur Ecclesiastici interdicto. num. 17.



CTIONES prohibitæ, & punitæ per hanc Constitutionem Clementis VIII. sunt multæ.

Primò prohibetur duellum publicum, & solemne, quod fieri solebat cum securitate loci, 1
prouocatorijs literis præcedentibus, cum Patrinis, & cæteris quæ interuenire solebant in duello publico; per Iulium II. in sua Bulla, quæ incipit, Regis pacifici, &c. versic. Nos igitur in fine: per Leonem X. in sua Bulla, quæ incipit, Quam Deo. &c. vers. nos igitur. &c. per Clementem VII. in sua Bulla, quæ incipit, Consueuit &c. per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ &c. & per Conc. Trid. in sess. 25. c. 19. sub decreto de Reform. & per Clementem VIII. in præsenti Constitutione versic. Quinimò de nouo &c.

Secundò prohibetur duellum priuatum, & non solemne, 2
quòd fieri solet absque loci securitate, absque patrinis, & literis prouocatorijs, &c. per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit Ea quæ. versic. Ac omnes concessiones. ibi, Dicta duella, seu alia singularia certamina in suis Regnis, Ducatibus, &c. per Greg. XIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum detestabilem &c. ibi, *Auctoritate Apostolica statuimus omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, socijve ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve prouocatoriæ literæ, aut denunciationis chartulæ præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri perinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamen iniuissent.* & per Clement. VIII. in præsenti Constitutione vers. quive alijs, &c. & versic. quinimo &c.

Tertiò prohibetur duellum etiam in castris, & inter perso- 3
nas militantes, & etiam contra militem in aduersariorũ exercitu militantem, etiam Ducum permissu, & etiam in alieno, vel hostili solo; per Bullam Pij IV. Decretum Concil. Trid. & Bullam Gregorij XIII. iuxta declarationem Clem. VIII.

per

per hanc Constitutionem. vers. Ac insuper, cuius verba sunt hæc: *Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locu habere vbique gentium, & terrarum, inter quascunque personas, etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes, etiam vbi nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut Catholicæ fidei hostiam furor impunè grassatur, vel in dominijs per eos occupatis, & detentis.*

4 Quartò prohibetur duellum siue publicum, siue priuatũ, siue in castris, etiamsi pactiones initæ sint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, per Pium IV. Decretum Conc. Trident. & Greg. XIII. iuxta declarationẽ Clementis VIII. in præsenti Constitutione vers. Nec non eisdem pœnis, &c. cuius verba sunt hæc: *Necnon ijsdem pœnis decreto, & Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine cum primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit.*

5 Quintò omnia supradicta sunt prohibita & punita, etiamsi duellantes, vel duellare volentes pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset quominus pugnarent; per Gregorium XIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum. ibi, *Etiã si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserunt, si per eos non steterit, quominus illa committatur*: Et per Clem. VIII. in præsenti Constitutione vers. quive alijs &c. ibi, *Etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut affectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit.* Vide latè infra in quæstione 41.

6 Sextò omnia supradicta sunt prohibita, & punita non solùm quando singuli cum singulis pugnant in duello, sed etiã quando bini, terni, aut plures hinc inde pugnant, per Pium IIII. per Concil. Trid. & Greg. XIII. per declarationem Clem. VIII. in hac Constitutione in vers. Vel si conuenerint, vt non singuli cum singulis &c.

7 Septimò prohibentur, & puniuntur prouocationes ad duellum

ellum, quæ vulgo Diffidationes dicuntur, dato quod à prouocato, inuitato, siue diffidato non sint acceptatæ, siue prouocationes sint ad publicum duellum, siue ad priuatum. Nam prouocationes ad publicum duellum sunt prohibitæ per Piũ 5
IIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ &c. vers. *Illosque tam ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id tentantes, & prouocantes &c.* & in vers. *Alioquin eos, & etiam extra terras, & loca ditioni Ecclesiæ huiusmodi non subiecta, duella seu singularia certamina huiusmodi, aut diffidationes desuper facientes, & ad id irritantes, prouocantes &c.* Prouocationes verò ad publicum, 11
& ad priuatum duellũ simul sunt prohibitæ per Clem. VIII. in præsenti Constitutione in versi. *Qui ve alijs ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam &c.* & versi. quinimo de nouo. ibi, Aut prouocantes &c. Si verò prouocatio fuerit acceptata, & ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset quominus pugnassent, esset multò magis prohibita, & punita per Bullam Greg. XIII. quæ incipit, Ad tollendum &c. versic. volentes. in fine.

Octauò prohibetur dare auxilium, consilium, vel fauorẽ, 8
arma pecuniam, commeatum, vel alia subsidia scienter subministrare ad duellandum, vel prouocãdum ad duellum; per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ, &c.

Etsi dictæ actiones essent factæ post prouocationem ad pugnam, & pugna ob aliquod impedimentum non fuerit commissa, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit quominùs pugnauerint, essent prohibitæ, & punitæ istæ actiones per Greg. XIII. in sua Bulla quæ incipit, Ad tollendum. versic. volentes etiam &c. Per præsentem verò Constitutionem Clem. VIII. in versic. qui ve alijs &c. sunt prohibitæ & punitæ supradictæ actiones (antea prohibitæ à iure diuino, & naturali, & per supradictas Constitutiones) etiã si ad locum non accesserint pugnaturi, vel per eos non steterit quo 11
minùs pugnauerint.

Nonò prohibetur quempiam aliquid verificare, vel probare cum armis, vel ad id se offerre contra certam, vel incertam personam ita esse, vel non fuisse. Hæc actio est prohibita de 9

iure

iure diuino, & naturali, vt probatum est in tertiò præmisso versic. Primo &c. & per Clem. VIII. in præsenti Constitut. versic. vel denique &c.

10 Decimò puniuntur ex composito & de industria spectatores per Bullam Leonis X. quæ incipit. Quam Deo. versi. nos igitur &c. Pij IV. quæ incipit Ea quæ. vers. Illosque &c. ibi, *Ac in illis astantes & interessentes*, & per Bullã Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. vers. Volentes etiam &c. & per præsenté Constitutionem Clem. VIII. in vers. quinimo &c.

11 Vndecimò puniuntur locorum Domini in quibus duellũ committitur, si licentiam ad duellandũ concesserint, vel permiserint, vel si quantùm in eis est non prohibuerint per Bullam Iulij II. quæ incipit, Regis pacifici. Leonis X. quæ incipit, quam Deo & hominibus. Clementis Septimi, quæ incipit. Consueuit &c. Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. Per Decretum Conc. Trid. in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reform. per Bullam Greg. XIII. quæ incipit, Ad tollendum &c. versic. volentes. & per præsenté Constitutionem Clem. VIII. vers. Et non solùm locorum Dominos, &c.

Et similiter puniuntur Magistratus, Præsides, Locumtenẽtes, militum Duces, & Capitanei, qui in castris, vel extra ea duellum permittunt, vel quantum in eis est, non prohibẽt, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedunt per Clement. VIII. in præsenti Constitutione vers. Et non solùm locorum Dominos &c. Et ratio est, quia mortaliter peccant in eorum officio faciendo contra iustitiam, argum. l. congruit. ff. de officio Præsid. & cap. 1. de offic. ordinar. & docet Nauar. in Manuali c. 25. nu. 26. & Michael Salon in 2. 2. D. Thom. tomo 1. q. 62. art. 7. controu. 2. tit. de ijs qui tenentur ex officio obstare. & alij, & ideo per Clement. VIII. vbi supra puniuntur.

12 Duodecimò puniuntur suadẽtes duellum, vel prouocationem ad duellum, acceptantes, mandantes, instigantes, socijque duellantium, vel commeatum illis præstantes, patrini, & quomodolibet se immiscentes, vt duellum, vel prouocatio ad duellum fiat.

Suadentes duellum, vel prouocationem ad duellum puniũ-

tur per præsentem Constitutionem Clem. VIII. vers. quive alijs, &c. ibi, *siue id suaserint &c.* Et ratio est, quia non solù duellantes, vel prouocantes ad duellum peccant cõtra ius diuinum, vt probatum est in q. 1. & 2: sed etiam suadentes &c. iuxta Apostolum in epistola ad Romanos c. 1. in fi. Qui talia agunt (inquit) digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Acceptantes etiam duellum puniuntur, quia sunt socij criminis, & illi se immiscent, vt per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. vers. Illosque tam ad pugiles &c. & per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. vers. volũtas &c. & per præsentem Constitutionem Clem. VIII. versic. quive alijs &c. ibi, quomodolibet se immiscuerint &c. & in versic. quinimo &c.

Mandantes similiter puniuntur per præsentem Constitutionem Clement. VIII. versic. quive alijs &c. ibi, Aut mandauerint: & antea per Greg. XIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum &c. versic. volentes &c. ibi, omnesque illud fieri mandantes.

Instigantes puniuntur per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum &c. vers. volentes &c. ibi instigantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes &c.

Socij quoque duellantium, vel commeatum illis præstantes similiter puniuntur per præsentem Constitutionem Clement. VIII. vers. quive alijs & vers. quinimò & antea per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. vers. Illosque tam ad pugiles, & per Bullam Greg. XIII. quæ incipit, Ad tollendum vers. volentes &c.

Patrini similiter puniuntur, vt per decretum Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. §. qui verò sub decreto de Reformat. & per præsentem Constitutionem Clem. VIII. vers. quinimò &c.

Quomodolibet se immiscẽtes, vt duellum, vel prouocatio ad duellum fiat, puniuntur per præsentem Constitutionẽ Clement. VIII. vers. quive alijs &c. Et ratio est, nam immiscẽdo se delicto, consentiunt facientibus, & ideo iuxta Apostolũ ad Rom. cap. 1. peccant sicut ipsi facientes.

Tertiodecimò prohibentur & puniuntur narrationes, de- 13

clarationes, testificationes & similia, in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet, sub prætextu tamen proprij, vel alieni honoris, & famæ more militari, atque vt vulgò dicitur, *Caualeresco,* tuendæ, aut lædendæ, siue ad illatæ, propulsatæuè cõtumeliæ, aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspitionem, vel alicuius rei gestæ ad id pertinentes. per Clement. VIII. in præsenti Constitutione, versic. præterea. iuncto vers. Necnon &c.

14 Quartodecimò prohibetur quempiam affirmare, vel negare aliquid ita esse, vt qui contradixerit siue in genere, siue in specie mendacij arguatur, aut mentiri dicatur, per Clem. VIII. in præsenti Constit. vers. Vel ex simili &c.

15 Quintodecimò puniuntur illi, qui scribunt publicos libellos (qui manifesti vulgariter vocãtur) seu fides etiam sub prætextu supradicto in §. 13. sine expressa prouocatione ad duellum, tamen sunt præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos prouocatorios, & quasi radices seu semina ad pugnã, per Clement. VIII. in præsenti Constitut. versic. præterea pari ratione. &c.

Supradictæ actiones enumeratæ in tribus §§. superioribus nempe 13. 14. & 15. fuerunt prohibitæ, & punitæ per Clem. VIII. quia erant veluti radices, & semina, & vt plurimùm occasiones proximæ duellandi, suscitandique inimicitias, vt ipsemet testatur in præsenti Constitut. vers. Præterea pari ratione &c. Vnde quia non solùm sunt vitanda mala, sed etiam occasiones proximæ malorum, vt docet Nauar. in Manuali, cap. 3. num. 14. versic. huius autem. & in cap. si quis autem, num. 4. & 5. de pœnit. dist. 7. ideo illas prohibuit, & puniuit transgressores tanquam cooperatores ad malum, & mortaliter peccantes contra legem diuinam, iuxta illud Eccle 3. Qui amat periculum, peribit in illo.

16 Sextodecimò puniuntur illi, qui libellos prouocatorios ad duellandum scribunt, publicant, dictant, componunt, mittunt, deferunt, affigunt, typis imprimunt, vel verbo denunciant, siue attestantur, vel quomodolibet ad prædicta consilium, auxilium, operam, vel fauorem præstiterint, suaserint, aut mandauerint, vel se immiscuerint, etiamsi neque

pugna aliqua, nec certamen, aut affectus, aut accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa prouocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ fuerint, si per eos non steterit quominus publicatio, aut denunciatio fieret, per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ versic. Illosque tam ad pugiles &c. & versic. Ac omnes concessiones &c. ibi; *Et similiter chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromiscentes &c.* & per Clem. VIII. in præsenti Constitutio. versi. quive alijs.

Decimoseptimò puniuntur Ciuitates, Terræ, Oppida, & alia loca, in quorum territorijs duellum commissum est, vt per Bullam Iulij II. quæ incipit, Regis pacificij. versi. dictosq; &c. Leonis X. quæ incipit, Quam Deo. versic. abijcientes &c. & per præsentem Constitutionem Clem. VIII. versic. Ipsas verò Ciuitates. &c. 17

QVAESTIO V.

Actiones, quæ extra ipsum duelli conflictum fieri contingũt, quæritur sintnè principaliter prohibitæ per præsentem Cõstitutionem Clementis VIII. vel tantùm accessoriè, & secundariè.

SVMMARIVM.

Actio aliqua an sit principaliter, vel accessoriè prohibita multùm refert. num. 1.

Actiones principaliter, & simpliciter prohibitæ per hanc Constitutionem sunt tres: Prima est pugna duelli; secunda publici, & prouocatorij libelli; tertia prouocatio ad duellum, narrationes, testificationes &c. num. 2.

Prouocatorium libellum qui publicè affigit, vel intimat, statim erit excommunicatus: secus verò si non affigeret, nec intimaret pænitentia ductus, vel alia caussa; dummodo per se stet, quominus publicetur, vel intimetur. num. 3.

Ad incurrendas pænas pro aliquo delicto requiritur delictum consummatum. num. 4.

Prouocans ad duellum statim facta prouocatione incurrit pœnas contra duellantes inflictas. num. 5.

Narrationes facientes in locis publicis, vel priuatis statim incidũt in excommunicationem, etiamsi pugna, vel prouocatio aliquando duellum non sequatur. nu. 6.

Publici libelli, qui dicuntur vulgariter manifesti, fieri non possunt, & facientes incidunt in excommunicationem statim, quòd fuerint intimati, vel publicati. nu. 7.

Actiones, quæ fiunt in ordine ad pugnam duelli, vel ad manifesta, vel ad prouocatoria scripta, vel ad narrationes, & prouocationes, quæ verbis fiunt, sunt principaliter prohibitæ (sed non simpliciter) sed sub conditione, si per eos non steterit, &c. numero 8.

Ratio vbi est eadem, debet esse eadem iuris dispositio. nu. 9.

Argumentum à maiori ad minus in eadem specie, & vbi est eadẽ ratio, est validum. num. 10.

Clausula in fine posita debet terminare omnia præcedentia. nume. 11.

Pronomen, eos, in clausula, si per eos non steterit &c. positum ad quos referatur. num. 12.

Conditio siue clausula, si per eos non steterit, quomodo adimpleatur. num. 13.

In dubio illa interpretatio est capienda quæ delictum excludit. numero 14.

In pœnis benigna interpretatio est facienda. nu. 15.

Quod à iure non determinatur, arbitrio boni viri, vel Iudicis erit determinandum. nu. 16.

Per constitutionem Pij IV. & per Decretum Concilij Trid. Principaliter prohibetur duellum, seu pugna duelli, secundariè vero & Accessoriè sunt prohibitæ omnes aliæ actiones quæ sunt in ordine ad dictam pugnam: stando tantum in dictis iuribus. numero 17.

Vna lex per alteram declaratur. nu. 18.

Regulariter non punitur affectus nisi secuto effectu. nu. 19.

Pœna est cum delicto commensuranda. nu. 20.

MVLTVM refert, vt vno modo, vel alio sint prohibitæ dictæ actiones; quia si principaliter, & simpliciter sint prohibitæ, statim facta illa actione incurritur pœna pro illa imposita: Si verò secundariè, & accessoriè non incurritur pœna illa imposita, nisi secuta illa actione principaliter prohibita. Ita docet Nauar. in Manuali cap. 27. num. 53. & in tracta. de datis & promissis Notabili 8. versi. Tertiò quòd ad incurrendas &c. & Nota. 30. & Ludouicus Molina de iust. & iure Disput. 92. vers. Ad tres alias &c. Nunc respondẽdo ad quæsitum statuto infrascriptas conclusiones. 1

Prima Conclusio. Tres actiones sunt principaliter, & simpliciter, & sine conditione prohibitæ per præsentem Constitutionem.

Primò prohibetur duellum ipsum (idest pugna duelli,) tam publicum seu solemne, quàm priuatum. 2

Secundò prohibentur publici libelli, qui vulgariter dicuntur manifesti, & fides; quæ licet sint sine expressa prouocatione ad certamen, tamen sunt quasi præparatoria quædam ad libellos prouocatorios, & ad duellum: & multò magis prohibentur prouocatorij libelli.

Tertiò prohibetur narrationes, declarationes, testificationes, & similia in locis publicis, vel priuatis, vbi hominũ multitudo cõuenire solet (sub prætextu tamẽ proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque, vt vulgò dicitur, Cauale resco, tuendæ, aut habendæ, siue ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspitionem, vel alicuius rei gestæ ad id pertinentis) & similiter prohibetur Prouocatio, seu, vt vulgò dicitur, diffidatio ad ipsam pugnam.

Probatur Conclusio. Prima actio est prohibita, vt latè probatum est supra in q. 4. nu. 1. & 2.

Secunda actio est prohibita per Clemen. Octauum, in præsenti Constitutione. versic. Præterea pari ratione &c. iuncto versic. volentes eos omnes &c.

Tertia actio est prohibita in hac eadem Const. Clem. Octaui, vers. Vel ex simili &c. cum tribus sequentibus versiculis.

Ex hac conclusione aliqua corollaria sequuntur.

3 Primum corollarium est, quòd si aliquis libellum prouocatorium ad duellum publicè affigit, vel intimat alicui, statim erit excommunicatus, & incurret pœnas contra duellantes inflictas: dato quòd pugna non sequatur, nec actus ad pugnã proximus: Et etiam dato quòd per se stet quòd pugna non sequatur; vt clarè patet in præsenti Constitutione Clem. Octaui, vers. Volentes eos omnes &c. cum vers. qui ve alijs &c. Et ratio est, quia illa prouocatio ad duellũ facta per publicationem, vel intimationem libelli est principaliter, & simpliciter prohibita: & propterea commisso peccato statim incurritur pœna pro illo imposita, dato quòd non sequatur pugna, propter quam prouocatio, seu publicatio libelli fuit prohibita.

Dixi publicè affigit, vel intimat, quia si aliquis haberet animum duellandi: siue pugnandi in duello cum Titio, & ad hunc finem libellum prouocatorium componeret animo publicandi, & intimandi illum, & postea vel pœnitentia, vel negligentia, vel timore inductus illum non affigeret, nec intimaret, nec per se, nec per alium, ita quod per se stet quominus publicetur, vel intimetur, non incurreret pœnas huius Constitutionis. Et ratio est, quia ad incurrendas pœnas pro aliquo delicto impositas requiritur, vt delictum sit consumatum, & perfectum: Nam leges pœnales sunt stricti iuris, &
4 ideo in eis, vt pœna incurratur non attenditur sola culpa, vel malitia apud Deum, sed etiam actio ipsa materialis peccati, quatenus per verba legis significatur. Ita docet Suarez de Religione tomo 1. lib. 4. de simonia. cap. 55. nu. 14. & cap. 56. nume. 25. in fine. Et Panorm. in cap. 1. de eo qui mittit in possessionem, nu. 13. & 30. Andreas in Regula in pœnis, de reg. iuri in 6. & idem Suarez tomo 5. de Censuris disp. 44. sect. 2. nu. 2. dicunt, quòd pœna ipso iure imposita non incurritur nisi per delictum consumatum, nec sufficit inchoatum, etiam si peruenerit ad actum propinquum. Prouocatio verò ad duellum per libellum, seu cartellum vt vulgo dicitur, tunc erit consumata, & perfecta, quando cartellum erit publicè affixum, vel intimatum alteri parti.

5 Secundum Corollarium est, quòd si aliquis verbis prouo-

cat aliquem ad duellum, statim facta prouocatione, siue diffidatione incidit in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas.

Et ratio est, quia prouocatio seu diffidatio ad duellum, quæ fieri solet verbis, est principaliter, & simpliciter prohibita, vt probatum est in prima Conclusione. Et propterea facta prouocatione statim incurritur pœna, dato quòd pugna non sequatur, nec actus ad pugnam proximus, vt demonstratum est in principio quæstionis per doctrinã Nauarri, & Molinæ.

Amplio primò hoc corrolarium, vt procedat siue prouocatio fiat publicè, siue occultè, vt patet ex præsenti Constitutione Clementis octaui, versiculo quive alijs &c. & versic. Quinimo &c.

Amplio secundò, siue sit facta ad pugnandum in duello publico, & solemni cum patrinis, campo franco &c. siue ad pugnandum in duello priuato, siue patrinis, & absque loci securitate, vt manifestè probatur ex præsenti Constitutione Clem. Octaui, versic. quinimo &c.

Amplio tertiò, siue prouocatio sit facta cõtra certam personam, siue contra incertam, vt patet in præsenti Constit. Clement. Octaui, versic. Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcunque. &c.

Amplio quartò, siue sequatur pugna, siue non sequatur; vt patet ex præsenti Constitutione versic. Vel denique &c. iuncto versic. quive alijs &c. & probatum est supra in secundo corollario: & etiam dato quod per ipsum steterit, quòd non sit secuta: Et ratio est; quia cum ista actio sit principaliter, simpliciter, & sine conditione prohibita, vt probatum est in prima conclusione, statim facta prouocatione siue diffidatione, incidit in excommunicationem; & aliás pęnas contra duellantes inflictas, vt probatum est in principio quæstionis per doctrinam Nauarri & Molinæ. Vnde licet in foro exteriori mitiùs puniretur in hoc casu; tamen in foro conscientiæ statim incidit in pœnam excommunicationis, quæ non tollitur nisi per absolutionem factam ab eo, qui iurisdictionem & potestatem habet.

Amplio quintò, siue sit acceptata ab illo, cui facta est prouocatio, siue non; Hoc clarè constat ex præsenti Constitutione Clemen. Octaui, vers. Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personam &c. iuncto vers. Nec non quascunque, &c. & præcipuè ibi, In locis publicis vel priuatis: & in vers. *quive alijs ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam &c.* & paulò post. *Etiam si neque pugna, aut actus ad pugnam proximus subsecutus sit.*

Amplio sextò, etiam contra prouocantes ad duellum sine expressione temporis, & loci ad pugnandum, vt probabitur infra in q.20. nu.9.

Amplio septimò, hoc corrolarium procedere etiam in acceptante prouocationem, & hoc duplici ratione; prima ex identitate rationis; eadem enim est ratio prohibitionis prouocationis ad duellum, & acceptationis; Et fauore animæ fit extensio ad tollendum peccatum, etiam in pœnalibus, & odiosis, vt docet Romana Rota in decis. diuersorum vol. 2. decis. 29. num. 10. & Panorm. in cap. ex tenore: nu. 6. qui filij sint legit. Crauet. de antiquit. temp. part. 4. sect. videamus. nu. 10. Iason, qui alios citat in Auth. quas actiones. nu. 25. C. de sacrosanct. Eccles. & Syl. in verb. lex. q. 19.

Altera est; quia acceptantes prouocationem sunt principales socij criminis, qui puniri debent eadem pœna, vt docent communiter DD. quos refert & sequitur Iulius Clarus in sua practica criminali. §. fi. q. 88. & per Greg. Decimumtertium, in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum. vers. volentes &c. Socij criminis eadem pœna puniuntur, & similiter per præsentem Constitutionem Clemen. Octaui, vers. Quinimo de nouo &c.

Amplio octauò, etiam in illo qui acceptat duellum absque prouocatione præcedente, vt exempli gratia: Si quis diceret alicui; Si habes voluntatem mecum pugnandi in duello, paratus sum nunc, & quandocunque volueris tibi satisfacere: Et ratio est, quia ista acceptatio est potius indirecta prouocatio ad duellum, quæ ex modo dicendi, & alijs circunstantijs cognosci poterit. Probatur hæc ampliatio ex præsenti Constitutione

tutione Clem. Octaui, versic. Quinimo, ibi, *In quibuscunque locis, modis, & formis, &c.*

Supradictæ duæ ampliationes nempe septima, & octaua, procedunt etiam pugna non secuta, nec actu ad pugnam proximo, meo iudicio, quia sunt principaliter, & simpliciter prohibitæ, sicut & ipsa prouocatio ad duellum.

Tertium Corollarium est: Qui in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet, facit aliquam testificationem, narrationem, vel declarationem sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ tuendæ, vel ad probationem illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut iniuriæ, seu ad tollendam illius suspitionem, vel alia simili causa: quæ narrationes, testificationes &c. licet nō contineant expressam prouocationem ad certamen; tamen sunt præparatoria quædā ad illud, & ad libellum prouocatorium, seu cartellum, vt vulgò dicitur, componendum: Facta igitur tali narratione, testificatione, vel declaratione coram hominibus ad effectum, de quo supra, statim incidit in excōmunicationē, & alias pœnas contra duellantes inflictas, dato quòd non sequatur pugna, nec actus ad pugnam proximus, nec prouocatio, vel libelli prouocatorij publicatio, vel intimatio; & dato quod per ipsum steterit quominus sequātur: Et ratio est eadem, quia ista actio est principaliter, & simpliciter prohibita, & ideo commisso delicto, idest facta declaratione, statim sequitur pœna pro illo imposita. Clarè etiam patet ex præsenti Constitutione Clem. Octaui, versi. Nec non &c. iuncto versic. præterea. & versic. quive alijs, &c. 6

Quartum Corollarium est: Qui faciunt in scriptis publicos libellos, qui vulgariter dicuntur manifesti, vel fides, narrationes, declarationes, testificationes, & similia, more militari, vel, vt vulgò dicitur, Caualeresco, sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ tuendæ, aut lædendæ; siue ad illatæ, propulsatævè contumeliæ, aut iniuriæ probationem; siue ad tollendam illius suspicionem; statim quod dicti publici libelli, seu manifesti sunt intimati, vel publicati, incidunt in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, dato quòd pugna aliqua nō sequatur, nec prouocatio ad

pugnam ; nec alicuius publici libelli intimatio, vel publicatio. & dato quòd dicti manifesti non contineant expressam prouocationem: Et ratio est, quia dicta actio est principaliter, & simpliciter prohibita, vt patet ex præsenti Constitutione Clem. Octaui, vers. præterea pari ratione &c. & ideo illa facta, & publicata, vel intimata statim sequitur pœna pro illa imposita, vt probatum est in principio quæstionis per doctrinam Nauarri, & Molinæ.

Dixi publicata, vel intimata: quia si aliquis faceret aliquã fidem, narrationem, &c. & nullo pacto alteri illam publicaret, vel intimaret, & per se staret quominùs publicaretur, vel intimaretur, non esset excommunicatus, nec incurreret pœnas contra duellantes inflictas, quia consumatio huius delicti consistit in publicatione, vel intimatione; ergo illa non secuta ex voluntate ipsius principalis facientis, pœna non incurritur, vt probatum est supra in primo Corollario in fine per doctrinam Suarez.

Secunda Conclusio. Omnes aliæ actiones prohibitæ per præsentem Constitutionem Clemen. Octaui, præter tres expressas in prima Conclusione, sunt etiam principaliter prohibitæ, sed non simpliciter, sed in ordine ad illas tres actiones, vel aliquam illarum, & cum ista clausula, seu conditione, si per eos non steterit quominus &c. vt exempli gratia, si actiones prohibitæ, & punitæ sunt in ordine ad pugnam duelli, vt concedere locum ad pugnandum, commeatum præstare, cõsulere &c. istæ actiones, & similes sunt principaliter prohibitæ, & punitæ, cum ista conditione (etiamsi pugna non sequatur, nec accessus, aut actus ad pugnã proximus,) si per eos non steterit quò minùs pugna duellica committatur.

Vel si actiones prohibitæ, & punitæ sunt in ordine ad prouocatoria scripta publicanda, vel intimanda; vt sunt scribere, subscribere, dictare, componere, & similes, sunt etiam principaliter prohibitæ, & punitæ cum conditione, si per eos non steterit, quominus prouocatoria scripta in publicũ prodeant, vel cuiquam intimata fuerint.

Et similiter si actiones prohibitæ, & punitæ sunt in ordine ad narrationes, vel prouocationes verbis faciendas, sunt similiter

militer principaliter prohibitæ, & punitæ cum conditione, si per eos non steterit, quominus denunciationes, narrationes; declarationes, & testificationes (sine scriptura) in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet ad effectum proprij, vel alieni honoris, & famæ tuendæ, aut lædendæ, siue ad illatæ propulsatæue contumeliæ, aut Iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspicionem, vel alicuius rei gestæ ad id pertinentis factæ sint; vel prouocationes, seu diffidationes (vt vulgo dicitur) ad duellum verbis fiant. supradicta conditio, si per eos non steterit &c. quomodo intelligatur, & quando sit adimpleta habetur infra in hac eadem quæstione num. 12. & 13.)

Hæc clarè colliguntur ex præsenti Constitutione Clement. Octaui, versic. Quive alijs. &c. vbi postquam Summus Pontifex prohibuerat principaliter, & simpliciter pugnam duellicam, & pari ratione publicos libellos (qui dicuntur vulgariter manifesti) narrationes, prouocationes, & prouocatorios libellos, qui vulgariter cartelli appellantur, sequitur prohibendo etiam actiones, quæ in ordine ad ipsas occurrere solent, scribere, dictare, intimare, consulere, fauorē præstare &c. similes, cum ista clausula. Etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnā proximus; neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit; neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint; si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret. Quæ clausula (si per eos non steterit quominus &c.) licet per verba sequentia (publicatio aut denunciatio fieret) referri videatur tantummodo ad actiones, quæ fieri solent in ordine ad manifesta, seu fides, & prouocatoria scripta, vt sunt scribere, dictare, imprimere, consulere dicta manifesta, & prouocatoria scripta &c. similes ad eundem effectū: Tamen ex identitate rationis, & cum sit in fine posita refertur ad omnes actiones prohibitas, & punitas in ordine nō solū ad manifesta, & prouocatoria scripta publicanda, & intimanda, sed etiam in ordine ad pugnam duelli committendam, & ad narrationes, & prouocationes verbis faciendas;

&

& mentio facta de publicatione, & denunciatione est exemplariter, & non restrictiuè facta.

Sed vt veritas huius conclusionis, ex qua dependet decisio multorum casuum; clarius cognoscatur, probabo illam per partes.

Continet enim in se tres partes. Prima tractat de actionibus ordinatis ad pugnam duellicam.

Secunda tractat de actionibus ordinatis ad manifesta, & prouocatoria scripta facienda, publicanda, vel intimanda.

Tertia verò tractat de actionibus ordinatis ad faciẽdas denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes sine scriptura, & ad faciendam prouocationem, seu diffidationem ad duellum sine scriptura.

Ad probationem primæ partis sciendum est, quòd Greg. XIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum &c. In vers. auctoritate apostolica &c. principaliter, & simpliciter prohibet duellum (seu pugnam duelli) publicum, & solemne, & priuatum. In vers. sequenti, qui incipit, Volentes etiam, prohibet etiam principaliter, sed non simpliciter alias actiones, quæ sunt ordinatæ ad pugnam duelli, vt sunt concedere locũ ad pugnandum, mandare, instigare, auxilium, consilium, vel fauorem præstare, & aliæ similes: sed sub duabus conditionibus in fine, quarum prima est; Si ad locum destinatum pugnaturi accesserint: Altera est, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur, omnes supradictæ actiones sunt ordinatæ ad pugnam duelli, vt clarè patet: & non sunt accessoriè prohibitæ: quia si essent accessoriè prohibitæ, transgressores non incurrerent pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra pugnantes in duello inflictas, nisi secuta pugna, secundum doctrinam traditam in principio præsentis quæstionis. Nec etiam sunt principaliter, & simpliciter prohibitæ, quia sequeretur ex eadem doctrina, quòd mandantes, consilium vel auxilium dantes ad duellum &c. statim dato cõsilio &c. inciderent in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas: Et tamen stando in dicta Bulla Gregorij XIII. non inciderent statim: Ergo sequitur, quòd sint principaliter prohibitæ, sed cum istis conditionibus, si ad locum de-

destinatum pugnaturi accesserint, & si per ipsos non steterit, quominùs illa committatur.

Hæc Bulla Gregorij fuit postea cõfirmata, & innouata per Clem. in præsenti Constitutione in vers. Nos nefaria &c. in fine: sed illa prima conditio, (si ad locum destinatũ pugnaturi accesserint) fuit per dictum Clem. Octauum sublata, ut patet in vers. qui ve alijs &c. vbi prohibet, & punit eisdem pœnis dictas actiones, etiam (hæc sunt verba textus) *si neque pugna aliqua, nec certamen aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnã proximus subsecutus fuerit.* Ergo cum illa Bulla Gregorij Decimitertij, sit confirmata, & innouata, & de duabus conditionibus appositis vna sit sublata, sequitur quòd altera sit confirmata, arg. tex. in c. nonne. de præsumpt.

Ad probationem secundæ partis conclusionis sciendũ est, quòd ad similitudinẽ Greg. Decimitertij, & pari ratione per Clem. Octauum, in præsenti Constitutione vers. Præterea pari ratione &c. principaliter, & simpliciter prohibentur publici libelli, qui manifesta vulgariter dicuntur, ad effectum, de quo in d. vers. in fine, & multò magis prohibentur prouocatorij libelli. Et postea in vers. volentes eos &c. iuncto versic. qui sequitur. Qui ve alijs &c. principaliter, sed non simpliciter prohibentur aliæ actiones, quæ sunt ordinatæ ad facienda, & publicanda, vel intimanda dicta manifesta, & prouocatoria scripta, vt sunt scribere, imprimere, dictare, consulere, fauorẽ præstare, & quomodolibet se immiscere &c. Sed similiter prohibentur sub conditione, si per eos nõ steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret.

Ex quo textu clarè liquet, quòd si quis scripserit, vel dictauerit manifestũ aliquod, vel prouocatoriũ libellũ, & postea laceraverit illum, ante publicationem, vel intimationem impediuerit: ita quòd per scribentem, vel dictantem stetisset, quominus publicatio, aut denunciatio fieret, non esset excommunicatus, nec incidisset in pœnas contra duellantes inflictas, licet peccauerit scribendo vel dictando. Et ratio esset, quia nõ esset adimpleta conditio: Vnde sequitur, quòd dictæ actiones non sint principaliter, & simpliciter prohibitæ. Nec accessoriè, sed principaliter sub illa conditione, si per eos non steterit

rit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret.

Probatur nunc tertia pars conclusionis; Primò ex identitate rationis; Nam Clem. Octauus, in præsenti Constitutione in vers. Præterea pari ratione, & ut prohibuerat principaliter, & simpliciter publicos libellos ad effectum, de quo in dicto vers. in fine; voluit etiam principaliter, & simpliciter, & ad eumdem effectum (in vers. Necnon &c.) prohibere easdem sine scriptis factas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominū multitudo conuenire solet, quæ appellari solent denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes: Et similiter quia multò magis prohibuerat principaliter, & simpliciter prouocatoria scripta, vt patet in versic. volentes eos omnes &c. voluit etiam principaliter, & simpliciter prohibere prouocationes, seu diffidationes ad duellū sine scriptura factas, vt similiter patet in vers. vel denique &c. Verum quia postea in dicto vers. volentes, iuncto vers. quive alijs &c. prohibuit principaliter; (sed non simpliciter) sub conditione illa, si per eos non steterit &c. alias actiones in ordine ad facienda & publicanda, vel intimanda dicta manifesta, seu fides, & prouocatoria scripta, vt probatum est supra in probatione secundæ partis præsentis conclusionis; Similiter intelliguntur prohibitæ (sub eisdem censuris, & pœnis) principaliter omnes aliæ actiones, quæ solent fieri in ordine ad narrationes, & prouocationes, seu diffidationes supradictas (sed non simpliciter) sed sub illa conditione, si per eos non steterit, quominus dictæ denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes sine scriptura narrentur in locis publicis, vel priuatis, vbi hominū multitudo conuenire soleat ad effectum de quo
9 supra: vel prouocatio ad duellū verbis fiat. Et ratio est, quia vbi eadem est ratio, debet esse eadem iuris dispositio. cap. dudum. il 2. de elect. cap. dilecta. de confirm. vti. Nam ratio comprehendit omnes casus etiam non expressos in lege & constitutione l. his solis. C. de reuocandis donat. Card. Paris. in cons. 83. nu. 11. col. 3. Decius cons. 284. & mentio facta de expressis, & nominatis casibus videtur exemplariter, & non restrictiuè facta, vt docet Flam. Paris. de confid. beneficialibus, q. 9. num. 76. & 77. Sed eadem ratione, qua prohibiti

ſunt publici libelli, qui uulgariter manifeſti dicuntur, qui fieri ſolent in ſcriptis, prohibitæ, & punitæ ſunt teſtificationes, declarationes, &c. quæ fieri ſolent ſine ſcriptis: Et eadem ratione, qua prohibita, & punita ſunt prouocatoria ſcripta, quę vulgo cartelli appellari ſolent, prohibitæ, & punitæ etiã ſunt prouocationes, ſeu diffidationes ad duellum, quæ ſine ſcriptura, ſed verbis fieri ſolent: Ergo ſimiliter eadẽ ratione, qua principaliter (ſed non ſimpliciter) ſed ſub conditione illa (ſi per eos non ſteterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret) ſunt prohibitæ actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad faciendа, & publicanda, vel intimanda manifeſta, & prouocatoria ſcripta, vt ſunt dictare, componere, ſcribere, ſubſcribere, typis imprimere, mittere, deferre, diuulgare, intimare, affigere, conſilium, auxilium, operam, vel fauorem, præſtare, ſtudere, mandare, vel quomodolibet ſe immiſcere. Sunt etiam principaliter, & non ſimpliciter prohibitæ omnes actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad narrationes, & prouocationes ſupradictas, quæ verbis fieri ſolent (vt ſunt conſulere, mãdare, inſtigare, auxiliari, fauere, aſſociare, commeatũ præſtare, vel quomodolibet ſe immiſcere) ſed ſub illa conditione, ſi per eos non ſteterit quominus narratio, vel prouocatio fiat.

Secundò probatur iſta tertia pars concluſionis per argumẽtum à maiori ad minus. Nam Summus Pontifex Clemens Octauus in præſenti Conſtitutione verſ. preterea &c. inquit, quòd pari ratione, qua prohibitum erat duellum, & prohibitæ erant actiones in ordine ad pugnam duelli, ipſe prohibet omnia, & ſingula eius generis ſcripta, quę Manifeſta vulgariter appellantur, & multo magis prouocatoria ſcripta, & tales res factas ſine ſcripto: Et poſtea ſequitur prohibendo alias actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad prædicta cum eadẽ clauſula in fine (ſi per eos non ſteterit &c.) qua prohibitæ erant antea per Greg. Decimumtertium, actiones in ordine ad pugnam duelli: Ergo ſi actiones, quæ ſunt in ordine ad pugnã duelli, quæ ſunt grauiores actionibus, quæ ſunt in ordine ad prouocationem duelli, & ad narrationes, non ſunt principaliter, & ſimpliciter prohibitæ, & punitæ, ſed principaliter, &

ſub

ſub illa conditione, ſi per eos non ſteterit quominus illa pugna cõmittatur; multò magis actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad prouocationem duelli, & ad narrationes, quæ verbis fieri ſolent, quæ ſunt minus graues, non erunt principaliter & ſimpliciter prohibitæ: ſed principaliter & ſub illa conditione ſi per eos non ſteterit quominus prouocatio verbis fiat, &
10 narrationes verbis fiant: Valet enim in iure argumentum de maiori ad minus in eadem ſpecie, & vbi eſt eadem ratio, vt eſt in caſu noſtro; Ita Decius in l. non debet cui quòd plus eſt; ff. de reg. iur. num. 7. & Dynus in cap. cui licet quòd eſt plus de reg. iur. in 6.

11 Tertiò probatur iſta tertia pars concluſionis per clauſulam in fine poſitam, quæ debet terminare omnia præcedentia, argum. tex. in c. Secundò requiris. extra de appellationibus, ſed Clemens Octauus, in præcedentibus prohibet duellum publicum, & priuatum; Prouocationem ad duellum factam ſine ſcriptura, & in ſcriptis; Manifeſta ſeu narrationes factas in ſcriptis, & ſine ſcriptura, & etiam actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad prædicta tria principaliter prohibita, vt ſunt mandare, cõſulere, inſtigare, auxiliari, fauere, ſcribere, dictare &c. & in fine ponit clauſulam; Si per eos non ſteterit &c. Ergo iſta clauſula debet referri non ſolum ad actiones, quæ ſunt in ordine ad publicationem, & intimationem prouocatorij libelli, vel manifeſti, ſed etiam ad omnes alias actiones ordinatas ad prædictas tres actiones principaliter prohibitas.

Sed contra hanc ſecundam Concluſionem videtur obſtare præſens conſtitutio Clem. Octaui, in verſ. Quinimo de nouo &c. In quo locò ſimpliciter, & abſque vlla conditione, vel clauſula de nouo excommunicat duellantes, & æquè principaliter, & ſimpliciter; & abſque vlla conditione, vel clauſula excommunicat id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes opem, conſilium, vel fauorem præſtantes &c.

Sed reſpondetur quod in dicto verſic. Clem. Octauus non prohibet aliquid de nouo diuerſum, vel ſub diuerſa forma, ab eo, quòd antea per eamdem Conſtitutionem prohibuerat, ſed tantum repilogat de nouo prohibendo quod in ſuperioribus prohibuerat ſub eiſdem modis, & formis.

Hoc

cit; Quinimo de nouo ex parte, &c. excommunicamus, &c. omnes, & quoscunque publicè, vel priuatim, palam vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel alijs prædictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis &c.

Præterea si consulentes, auxiliantes, suadentes, equos, arma, & commeatum præstantes &c. qui ibi enumerantur essent simpliciter, & absque vlla conditione excommunicati, & puniti, sequeretur, quod idem Clemens correxisset, quòd anteà per eamdem Constitutionem alio modo, & forma expresse prohibuerat: sed legum correctiones vitari debent. l. precibus. C. de appellat. in fine; Ergo sicut debemus iura iuribus concordare. cap. cum expediat. de elect. in 6. ita similiter debemus vnam partem iuris alteri parti concordare, vt euitetur correctio: nam vna pars legis per aliam declaratur, l. in ciuile est. ff. de legib. l. vtrum. vbi Bart. in princ. ff. de petit. hæredit. Et per consequens in casu nostro excommunicati, & puniti per hunc vers. Quinimo &c. non sunt statim simpliciter excommunicati, & puniti si faciunt actiones prædictas; sed tunc tantùm quãdo illas committunt, & per eos non steterit, quominùs actio principalis exequatur.

Probata igitur secunda Conclusione insurgunt duæ dubitationes occasione clausulæ, siue conditionis supra nominatæ (si per eos non steterit quominus &c.) 12

Prima est illud pronomen (eos) ad quos referatur. Et breuiter respondeo, quòd refertur non ad principales duellantes, vel prouocantes, vel narrantes, sed ad illos, qui illas actiones prohibitas fecerunt: Vt exempli gratia, Si quis consilium dederit ad libellum prouocatorium, vel publicum componendum, vel illum scripserit, composuerit &c. etiam non secuto certamine, nec actu proximo ad certamen, nec secuta publicatione, vel intimatione libelli prouocatorij, vel publici erit excommunicatus, si per ipsum qui consilium dedit, vel scripsit, vel composuit, non stetit quominus publicaretur, aut intimaretur ille libellus. 13

Secunda dubitatio est, quãdo ista cõditio (si per eos nõ steterit &c.) erit adimpleta. Et vt facilius intelligatur decisio, po-

namus aliquod exẽplum: Titius cõmodauit arma volẽtibus pugnare in duello. Iam ex supra dictis clarè constat, quòd ad hoc vt Titius incurrat excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, non requiritur, vt pugna sequatur, nec accessus, neque actus ad pugnam proximus, vt patet ex præsenti Constitutione. Vers. quive alijs, &c. ibi, etiamsi neq; pugna &c. Neque etiam secuto commodato statim incurrit Titius excommunicationem, & alias pœnas, quia conditio, Si per eos non steterit, non est adimpleta: Quæritur nunc, vt assignetur terminus, in quo Titius incurret excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes afflictas.

Respondeo, quòd primus terminus erit tempus pugnæ, si pugna sequatur; & si pugna non sequetur, secundus terminus erit tempus determinatũ ad pugnam, si adueniente tempore præfixo ad pugnam ipsa non sequatur ob pœnitudinem illorum, qui priùs pugnare volebant, vel ob aliud impedimentũ, non aũt per ipsum commodatarium: Et ratio est, quia tunc purificata est conditio, & ante tempus præfixum semper erat locus pœnitentiæ ipsi commodatario.

Etsi tempus non esset determinatũ, sed tantùm locus pugnæ, tertius terminus erit, quando duellare volentes accedũt ad locum pugnæ, & per commodatarium non stetit quominus pugna sequeretur; sed per ipsos principales, vel per ministros iustitiæ, vel per aliud impedimentum.

Si verò tam in secundo, quàm in tertio casu supradicto pugna sit impedita priùs, quam perueniatur ad terminum (nempe ante tempus præfixum vel ante accessum ad locum præfixum) per aliquod accidens, vel per ministros iustitiæ, vel per pœnitudinem illorũ, qui priùs pugnare volebant, in isto casu.

Duæ possunt esse opiniones, vna quod comodatarius incurrerit in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, Et ratio esse potest, quia per eum non stetit quominus pugna sequeretur, sed per alios, & sic videtur adimpleta illa clausula, seu conditio requisita à Constitutione ad incurrendas pœnas supradictas.

Preterea ista excommunicatio cum sit ad fauorem animę, latè est interpretanda, iuxta iuris regulam, Fauores conuenit

am-

ampliari.c.olim de reg.iur.in 6.

Altera opinio esse potest, commodatorium non incurrisse in excommunicationem, nec alias pœnas contra duellantes inflictas; Probari potest ista opinio.

Primò, Quia in toto illo tempore à cõmodato vsque ad præfixum tempus ad pugnam, vel accessum ad locum pugnæ, poterat ipsum commodatarium penitere, & repetere commodatum, & impedire pugnam: Vnde dato quod per alios, vel alia via sit impedita pugna ante completum tempus, non per hoc potest dici quod per eum non stetit.

Secundò, Comodatũ à Titio factum ad pugnam duelli, licet sit delictum in se, tamen cum sit prohibitum in ordine ad pugnam duelli non potest dici delictũ cõsumatum, nisi secuta pugna, vel adimpleta dicta conditione, Ergo vt sit delictum consumatum ex parte Titij comodatarij, vltra commodatum, requiritur etiam culpa omissionis in non impediendo pugnam duelli. sed elapsum non erat tempus ad impediendã pugnam, quia nondum duellantes accesserant ad locũ pugnæ, nec tempus præfixũ ad pugnam iam aduenerat. Ergo Titius non fuit in culpa omissionis, quia iam erat intra terminum præfixum in quo poterat pœnitere, & impedire pugnam, & per consequens non potest dici quod per eum non stetit.

Tertiò, Si contraria opinio esset vera sequeretur quod ex actione licita alterius Titius incurreret in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, quod est absurdum; Probatur sequela, quia tempore commodati non incidit statim in dictas pœnas, quia iam non erat adimpleta conditio *si per eos non steterit*. Nec duellum est secutum, nec factus est accessus ad locum duelli per duellantes, nec iam aduenerat tempus determinatum ad pugnam: Ergo si incidisset in dictam excommunicationem, incidisset tempore quo fuit impedita pugna, & per consequens ex licita actione alterius, quæ est absurditas manifesta.

Quarto, In dubio illa interpretatio est capienda quæ delictum excludit, l. Marito, ff. pro socio c. Extote, Extra de Regul. iuris, D.Thom. in 2.2.q.60.artic.4. Sed in præsenti casu 14

versamur in dubio. Ergo potius est sequẽda ista opinio quæ delictum excludit, quam contraria quæ titium condemnat.

Quinto, Contra duellantes non solum est imposita pœna excommunicationis quæ est ad salutem animæ, sed etiã aliæ pœnæ sunt impositæ, quæ sunt corporis afflictiuæ, vt patet ex. q. 6. nu. 1. & 3.

15 Sed in pœnis benigna interpretatio est facienda: c. in pœnis de reg. iur. in 6. l. Factum. §. in pœnalibus. ff de reg. iur. Ergo dato, quod respectu excommunicationis lata esset facienda interpretatio, tamen respectu aliarum pœnarum benigna interpretatio est facienda per iura supradicta.

Pro decisione huius difficultatis dico, quod vtraque opinio habet aliquam probabilitatem; Sed quia à Summo Pontifice in præsenti Constitutione non est determinatum quando sit adimpleta dicta conditio *si per eos non steterit &c.* Sequitur

16 quod arbitrio discreti Iudicis vel Confessarij determinandũ sit; Nam quod à Iure non determinatur, arbitrio boni viri, vel Iudicis determinandum erit, iuxta tex. in c. De causis. §. 1. extra de off. delega. l. 1. ff de iure deliber. Nauar. in Man. cap. 17. nu. 3. vers. Quarto quod magnæ quæstionis est &c. & cons. 63. de Præben. Sanchez de Matrimonio. Tom. 2. lib. 7. Disput. 7. nu. 4.

Vnde illam opinionem quæ rationabiliter videbitur, consideratis circumstantijs casus occurrentis, poterit Iudex, vel Confessarius amplecti.

Quãdo verò neque pugna secuta est, neque in prouocatione facta ad duellum statutum est tempus, neque locus, tunc similiter arbitrio prudentis iudicandum est, quãdo per ipsum commodatarium non stetit quominus pugna sequeretur; & ratio est eadem quia quod à iure non determinatur arbitrio boni viri determinandum est, vt supra probatum est.

17 Tertia Conclusio, Per Constitutionem Pij IV. & per Decretum Concilij Trid. Principaliter prohibetur, & punitur duellum seu pugna duelli, omnes verò aliæ actiones quæ sunt in ordine ad dictam pugnam, stando tãtum in dictis iuribus sunt secundariè, & accessoriè prohibitæ: sed per præsentẽ Cõstitutionem Clem. VIII. sunt omnes principaliter prohibitæ:

re; Aliqua principaliter & simpliciter, & sine vlla conditione, vt dictum est in prima conclusione; Aliæ vero principaliter, sed non simpliciter; sed cum illa clausula seu conditione *si per eos non steterit quominus &c.* de quibus dictum est in secunda conclusione suprapolita.

Secunda pars huius conclusionis est ibi, sed per præsentem; &c.

Probatur prima pars supradictæ conclusionis in qua dicitur, omnes vero aliæ actiones &c.

Primò, Quia summus Pontifex si voluisset principaliter, & non accessoriè prohibere omnes alias actiones quæ sunt in ordine ad pugnam duelli, dixisset etiam non secreto duello, sicut fecit Greg. 13. in sua Bulla. vers. Volentes &c. & Clemens VIII. in præsenti Constitutione, vers. Quive alij &c. In quibus iuribus dicti Summi Pontificis postquam principaliter prohibuerunt duellum, quia prohibuere volebant etiam omnes alias actiones quæ sunt in ordine ad duellum principaliter, dicunt in locis præallegatis *etiam non secuta pugna,* 18 Addendo tamen illam conditionem, *si per eos non steterit quominus pugna sequatur.* Ergo cum vna lex declaretur per alteram; l. Non est nouum. ff. de legibus, & in dictis iuribus nō dicuntur *etiam non secuta pugna,* sequitur quod sint accessoriè, & secundariè, & non principaliter, & simpliciter prohibitæ, stando solum in dictis iuribus.

Secundò, Omnes actiones quæ sunt in ordine ad pugnam duelli, prohibitæ & punitæ per dictum duellum Pij I V. & Decretum Concilij Trid. licet sint male, & punitione digne, tamen tanquam delicta partialia concurrunt ad delictū principale, id est ad pugnam duelli propter quā fuerunt prohibita; sed in dictis iuribus puniuntur duellantes consumato delicto, vt patet ex Bulla Pij I V. §. Illosque &c. ibi, *tam ad pugiles taliter pugnantes &c.* & in Decreto Concilij Trid. ibi, *Qui verò pugnam commiserint &c.* Ergo & alij qui partialiter concurrant ad dictam pugnam duelli, non incurrunt dictas pœnas nisi cōsumato habitu principali, Nam regulariter nō 15 punitur affectus nisi secuto effectu; c. cogitationis extra de Pęnis, l. Qui falsam monetam. ff. de Falsis, & docet communi-

ter Doctores quos refert & sequitur Iulius Clarus in sua practica crim. §. fi. q. 92. in princ. num. 1. Et per consequens non sunt principaliter, & simpliciter prohibitæ à dictis iuribus, sed accessoriè, & secundariè.

20 Tertia pœna est cum delicto commensuranda. l. Pedius. ff. de incendio Ruina, & Naufragio, l. Respiciendum. ff. de Pœnis. l. sancimus. C. de Pœnis: Sed stando solum in dictis iuribus, principales duellantes non incurrunt in pœnas contra duellantes statutas in dictis Iuribus nisi consumato delicto, seu secuta pugna: Ergo & alij delinquentes qui partialiter cōcurrunt ad dictum delictum nō debent puniri, nisi secuta pugna, quia alias sequeretur hoc absurdum, quod minus delinquentes magis punirentur. Si igitur puniuntur secuta pugna; Ergo sunt accessoriè prohibitæ.

Secunda vero pars Conclusionis probatione non indiget, cum sit manifesta ex prima, & secunda Conclusione supra posita.

QVAESTIO VI.

Quæritur, quot, & quæ sint pœnæ impositę contra delinquentes in caussa duelli in hac Constitutione, & alijs iuribus.

SVMMARIVM.

Domini temporales, qui locum ad monomachiam concedunt, quibus pœnis puniuntur. nu. 1.

Ciuitates, Terræ, & populus in quorum territoria duellum committitur, quibus pœnis puniantur. nu. 2.

Pugnantes in duello publico, vel priuato quibus pœnis afficiantur. num. 3.

Contrauenientes in quolibet casu prohibito per præsentem Constitutionem, quibus pœnis puniantur. nu. 4.

Clerici duellantes quibus pœnis puniantur. nu. 5.

Clerici duellantes an incurrant irregularitatem. nu. 6.

MVL-

MVLTÆ pœnæ sunt impositæ contra delinquentes in casu duelli in hac Constitutione Clement. VIII. & alijs iuribus.

Primo Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos expressè, vel tacitè (vt patebit in superiore) concesserint, eo ipso sunt excommunicati, & dominio, & iurisdictione Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quē duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, ipso facto sunt priuati: & si feudalia sunt, directis Dominis acquiruntur per Decretum Concilij Trid. sess. 25. cap. 19. sub decreto de Reformat. & per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ, alijs pœnis puniuntur: Nam fiunt inhabiles ad illa, & alia in posterum obtinenda, vt in versic. Nos quorum &c. erga finem, ibi, Necnon inhabilitatis &c. Priuantur etiam omnibus alijs bonis, efficiuntur infames, puniri debent vt rebelles, priuantur facultate testandi; & absolutio excommunicationis reseruatur Summo Pontifici, vt clarè patet in dicta Bulla versic. Nos quoque &c. 1

Quæ iura ampliantur multis modis.

Primò procedunt non solùm in statu Ecclesiastico, sed etiā extra in omni loco. Esto hi Domini temporales nō sint subditi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt ex Bulla Pij IV. vers. ac omnes concessiones, ibi, *etiam temporali ditioni ipsius Romanæ Ecclesiæ non subditos &c.* videri poterit, & patet ex præsenti Constitutione Clem. VIII. *Ac insuper auctoritate, ac tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere vbique gentium, & terrarum.* Et ita etiam docet Lucas Floronus in suo tracta. de prohibit. duelli cap. 3. §. 1. nu. 6. vers. Quinto locum habet. & vers. Sexto.

Secundò afficiunt omnes personas cuiuscunque status siue laici, siue Ecclesiastici sint Domini tēporales, vt patet ex decreto Concil. Trid. in sess. 25. c. 19. sub Decreto de Reform. ibi, *Et quæcunque alio nomine Domini temporales, qui locū &c.* Et patet etiam ex præsenti Constitutione Clem. VIII. vers. quinimo de nouo &c. ibi, *Omnes, & quoscunque &c.*

Tertiò afficiunt personas cuiuscunque sexus siue masculi

siue fœminæ sint, vt patet ex iuribus supra allegatis in secunda ampliatione, & docet Lucas Flor. vbi supra num. 4. vers. Tertiò locum habet. &c.

Quartò similiter afficiunt personas cuiuscũque gradus siue Reges, vel Imperator, vel Episcopi, Archiepiscopi, vel Cardinales sint Domini temporales, qui locum cócedunt ad monomachiam in terris suis, vt in prædicto decreto Conc. Trident. clarè exprimitur, & in præsenti Constitutione Clemen. VIII. vers. quinimo. ibi, *Excommunicamus, & execramur omnes, & quoscunque &c.* & paulò inferius, *Quascunque tã superius expressa, quàm alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeat dignitate.*

Quintò locum habent dictæ pœnæ siue duellum sit publicum, siue priuatum, vt ex Bulla Gregorij Decimitertij, quæ incipit. Ad tollendum &c. vers. Volentes etiam. & ex præsenti Constitutione Clem. Octaui, clarè constat. vers. quinimò. ibi, *Excommunicamus &c. omnes & quoscunque publicè, vel priuatim, palam vel occultè, in quibuscunque locis &c.*

Sextò similiter locum habent dictæ penæ non solùm quãdo dicti Domini temporales locum ad duellum assignãt, vel concedunt, siue per se, siue per intermedias personas; sed etiã si quantum in se fuerit, non prohibuerint, vt patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. versic. volentes etiam &c. & ex præsenti Bulla Clem. VIII. versic. Et non solum locorum Dominos.

Septimò locum habent dictæ penæ non solùm quãdo Domini temporales locum ad duellum assignant, vel concedũt; sed etiam si permiserit in locis suis affigi libellos prouocatorios, qui vulgariter Cartelli dicuntur: Vel publicari publicos libellos, qui manifesta vulgariter appellari solent, ex quibus oriri solent occasiones prouocandi aliquos ad duellum: Vel permiserint quascunque talium rerum factas sine scripto, vt patet ex præsenti Constitutione Clem. VIII. in vers. præterea pari ratione. & vers. nec non quascunque &c. Vel in alio casu per præsentem Constitut. Clemen. VIII. & alias Constitutiones prohibito, quomodolibet se immiscuerint; vt similiter patet ex præsenti Constitutione Clem. VIII. versi. qui vel

alijs

alijs &c. & docet etiam Lucas Floronus in suo Tract. de prohibit. duelli cap. 3. §. 1. num. 13. versic. decimotertiò. & num. 14. versic. decimo septimò: Vel quantùm in eis fuerit, nō prohibuerint, per supradicta in præcedenti Ampliatione sexta. 1

Octauò locum habent, vt dictis pœnis puniantur Domini temporales, non solum si duellum fiat in illo castro, Ciuitate, vel loco, in quo ipsi Domini habitāt, ac personaliter sunt; sed etiam in omnibus alijs locis eorum dominio subiectis, si expressè, vel tacitè permiserint prohibita id fieri, vel quantū in ipsis est non prohibuerint; vt patet ex Bulla Gregorij Decimitertij, quæ incipit, Ad tollendum, vers. Volentes etiā, ibi, *Aut quantum in se fuerit, non prohibuerint:* & ita docet Lucas Floronus in suo Tract. de prohibit. duelli. cap. 3. §. 1. nu. 14. versi. decimoquintò &c.

Nonò, dictæ pœnæ locum habent non solum contra locorum Dominos, sed etiam contra Magistratus, Locum tenentes, militum Duces, Capitaneos (in ijs, quæ possunt illis adaptari) &c. qui duellum permiserint in suis castris, vel extra, etiā in alieno, vel hostili solo; & non solùm inter suos milites, sed etiam cum militibus exercitus aduersariorum: Vel quātum in ipsis est, non prohibuerint, vt patet ex loco præallegato præsentis Bullæ Clem. VIII. vers. Et non solum.

Decimò, locum habent dictæ pœnæ dato, quod supradictas actiones fieri permittant ad euitandum maius malum, vt patet ex supradictas in quæst. 2. num. 12. & colligi potest ex præsenti Constitutione Clem. VIII. vers. necnon ijsdem pœnis &c. & versic. Et non solum: vbi tollit permissionem, & punit non prohibentes; & probat Lucas Floronus in tracta. de prohib. duelli, cap. 3. §. 2.

Vndecimò & vltimò, locum habent dictæ pœnæ non obstante quocunque priuilegio, vel quacunque praua consuetudine immemorabili in contrarium, vt patet ex decreto Concilij Triden. sess. 25. cap. 19. de Reformat. & probat Lucas Floronus in tracta. de prohibitio. duelli cap. 3. §. 1. num. 6. vers. nonò locum habet &c. cap. 3. §. 1. num. 1. versic. quartò locum habet.

Secundò, Ciuitates, Terræ, Castra, & alia loca, in quorum 2

rum

rum territorijs duellum publicum, seu solenne, & priuatum scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admissum fuerit, ipso facto supponuntur ecclesiastico interdicto, cuius relaxatio summo Pontifici est reseruata per Clement. VIII. in fine præsentis Constit. vers. Ipsas verò Ciuitates &c. & per Concil. Trident. in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformat. priuantur Dominio, & iurisdictione loci, in quo duellum fieri permiserint.

De hac pœna interdicti vide latè infra in q. 36.

3 Tertiò pugnantes in duello publico, & solemni, vel priuato, & eorum patrini non solùm sunt ipso facto excommunicati, & eorum absolutio est Summo Pontifici reseruata, vt per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ. & Clement. VIII. in fine præsentis Bullæ, & Gregorium XIII. in sua Bulla, quæ incipit, Ad tollendum; sed etiam eorum bona proscribuntur, perpetuam infamiam incurrunt, vt homicidæ, & rebelles puniendi sunt, priuantur facultate testãdi: Et si in ipso conflictu decesserint perpetuò Ecclesiastica sepultura priuantur per Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. §. qui verò. sub Decreto de Reformat. & Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit, Ea quæ, vers. Nos quorum &c.

Quibus pœnis afficiuntur. Primò omnes duellantes tam in statu Ecclesiastico, quàm extra illud, cum Decretum Concilij Trid. sit vniuersale, & in præsenti Constitutione Clem. VIII. expresse declaretur in vers. Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere vbique gentium, & terrarum; & clarius patebit infra in q. 10. nu. 4.

Secundò, afficiuntur omnes personæ cuiuscunque sexus, status, gradus, vel conditionis existant, vt videbimus in quæstio. 10. & docet Lucas Floronus in suo tract. de prohibitione duelli cap. 5. §. 1. nu. 1. vers. quintò locum habent &c.

Tertiò, dictis pœnis afficiuntur omnes pugnantes in duello tam publico, quàm priuato, vt clarè videri poterit tã in Bullæ Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. vers. volentes etiam &c. quàm ex præsenti Bulla Clem. VIII. vers. qui-

nimo.

dimo. ibi, *Excommunicamus, &c. omnes & quoscunque publicè, vel priuatim, palam, vel occultè &c.* & latè videbimus infra in q. 12.

Quartò, dictis pœnis afficiuntur, dato, quòd eorum Domini tẽporales, vel Duces (si milites sunt) id permitterent; quia nõ solũ id permittere nõ possunt, sed prohibere tenẽtur, nõ solũ tẽpore pacis, sed etiã tempore belli, etiã tẽpore belli, etiã in castris, & territoriis, seu propugnaculis, Et etiam cum militibus in aduersariorum exercitu militantibus, vt patet ex præsenti Constitutione Clem. VIII. vers. Idem quoque. & vers. Et non solùm locorũ Dominos. & ex supradictis in q. 4. n. 3.

Quintò, dictis pœnis afficiuntur non obstante quacunque praua consuetudine, vel priuilegio, vt patet ex supradictis nu. 1. vers. vndecimò &c.

Quartò, cõtrauenientes in quolibet casu prohibito per præsentem Constitutionem Clem. VIII. vel per Decretum Cõcilij Trident. vel per alias Bullas Pontificias contra duellãtes statutas, incurrunt in easdẽ pœnas statutas contra duellantes ipsos in ijs, quæ possunt illis adaptari. Actiones verò prohibitæ habentur supra in q. 4. Hoc patet per Constitutionem Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. vers. Illosque tam ad pugiles &c. & per Constitutio. Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendam, vers. Volentes &c. ibi, *eisdem censuris, & pœnis subiacere &c.* & per præsentem Constitutionem Clem. VIII. vers. Ipsas verò &c. in fine. ibi, Pœnis aliis &c. Nam Pius IV. confirmat & renouat Bullas suorum prædecessorum contra duellantes inflictas, & illas extendit in omni loco, etiam extra statũ ecclesiasticum, vt patet in vers. Ac omnes concessione, &c. ibi, *Et insuper cupientes &c.* Et pœnas in dictis Bullis inflictas extendit contra omnes personas contrafacientes in aliquo cãsu prohibito per dictas Bullas, vt patet in vers. Illosque tam ad pugiles &c. Gregorius verò XIII. pœnas statutas in decreto Concilij Triden. contra duellantes, extendit ad pugnãtes in duello priuato, & ad mandantes, instigantes, consilian tes, &c. Vltimo loco Clemens VIII. in præsenti Constitutione confirmauit, & innouauit omnes supradictas Bullas, & pœnas, & Decretum Concilii Trident. & extendit ad om

nes

nes contrafacientes in aliquo casu prohibito per dicta iura, vt patet in sua Bulla, versic. Ipsas verò &c. in fine, ibi, pœnis alijs &c.
5 Quintò, Clerici duellantes siue obtulerint, siue oblatum susceperint duellum, vltra alias pœnas contraduellantes statutas supra in §.3. enumeratas, sunt etiam deponendi. cap. 1. de Cleric. pugnan. in duello, & per Bullam Pij I V. quæ incipit, Ea quæ &c. eo ipso priuantur omnibus, & singulis Ecclesijs, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, & ad quæ ius eis competit, & ad illa, & alia in posterum obtinenda inhabiles existunt, necnon illa tanquam per priuationem huiusmodi vacantia ab alijs impetrari possunt, nec aduersus illos restitui, seu rehabilitari possunt ab alio, quàm à Romano Pontifice: Quæ pœnæ habent locum tam in duello publico, & solemni, quàm in priuato, vt patet ex supradictis in hac eadem q. nu. 3. in fine.
6 Sed dubitari posset, An sint irregulares Clerici pugnantes in duello publico, & solemni vel in priuato.
Respondetur quod si in duello interueniat mors, vel membri mutilatio, nulli dubium est, quòd sint irregulares, vt patet in c. 1. & 2. de cleric. pugn. in duello: Si verò mors, vel mutilatio non interuenit, tunc quia per decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. 19. §. qui verò &c. sub decreto de Reform. & per bullam Pij I V. quæ incipit, Ea quæ &c. vers. Nos quorum est &c. pugnantes in duello declarantur infames ipso facto, vltra alias pœnas, Et infamibus portæ dignitatum patere non debent. c. infamibus. de reg. iur. in 6. c. infames. 6. q. 1. Et ordo Ecclesiasticus honor & dignitas est. c. 1. de obligat. ad ratiocinia. & c. admittantur. distin. 54. & l. officiales. C. de Epis. & cler. sequitur, quòd ad ordines Ecclesiasticos promoueri non possint, & promoti non possint illos exercere, tanquam infames, & irregulares, vt docet Syl. in verb. infamia. §. 1. o num. 15. & hoc etiam peracta pœnitentia pro illo crimine, pro quo infames facti sunt, nisi in integrum restituti fuerint; Ita Sayrus de censuris Ecclesiast. lib. 7. cap. 11. nume. 6. Quod procedi in tribus casibus.
Primò quando crimen, in quod inciderunt, essent confessi in iudicio.

Secundò quando essent conuicti in iudicio, dato quod non essent confessi. &

Tertiò, quando crimē esset notorium in ciuitate, collegio, vicinia, vel loco vbi esset commissum; vt docet Sayrus de cēs. Eccles. lib. 7. c. 11. num. 5.

Et quòd clerici prædicti duellantes sint irregulares, docet Abulensis in lib. 1. Reg. tomo 2. c. 17. q. 45. in prin. & Simon Maiolus de irregularit. lib. 5. cap. 18. & Sayrus vbi supra lib. 7. cap. 12. nu. 11.

Quæ irregularitas à nullo tolli potest, nisi à Summo Pontifice, vt clarè docet Simon Maiolus de irregularitate lib. 5. cap. 51. num. 3. §. quinimo. vers. tamen certè quædam. & Tabiena in verbo. Infamia. num. 7. Præterea cùm absolutio casus duelli sit Summo Pōtifici reseruata, rationabiliter etiam videtur, vt dispensatio irregularitatis ex duello descendens sit eidem Summo Pontifici reseruata; Nā regula generalis est Episcopos non habere dispensandi facultatem in his casibus in quibus absolutio est eis interdicta, Argumento tex. in c. cùm illorum, de sent. excommunicationis, & docet Panorm. & alij ibidem, & Suarez de irregularitate tomo quinto. Disput. 43. sect. 1. num. 7. Infamia verò à quibus auferri possit, dicetur in quæst. seq. vers. Quartò infamiæ pœnam.

QVAESTIO VII.

Delinquentes contra præsentem Constitutionem, qui incurrunt pœnas per eam, & alia iura impositas contra duellantes, ad duellum prouocantes, consilium, auxilium, vel fauorem præstantes &c. Quæritur an ipso facto ligentur in foro conscientiæ dictis pœnis, ita quòd absque alio superioris, vel Iudicis decreto, præcepto, vel monitione, teneatur delinquens sub pęnā mortalis peccati eas pati?

SVM-

SVMMARIVM.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ statim ligat ipsum delinquentem commisso crimine. nu. 1.

Pœnā interdicti latæ sententiæ statim afficit delinquentes commisso delicto. nu. 2.

Pœnā priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ quando incurrant ipso facto duellantes. nu. 3.

Pugnans in duello si in ipso conflictu sit vulneratus, & alio die moriatur, an priuari debeat Ecclesiastica sepultura, si ante mortem ostenderit signa contritionis, vel absolutus fuerit à censuris, & peccatis, nu. 4.

Pœna infamiæ an incurratur ipso facto. nu. 5.

Infamiæ maculam qui possit auferre. nu. 6.

Pœnam pecuniariam, seu confiscationis bonorum soluere in foro cōscientiæ delinquens non tenetur, ante sententiam, & executionē Iudicis. num. 7.

Clausula (ipso facto) quid operatur in pœna confiscationis bonorum. num. 8.

Testandi facultate priuatus per legem an remaneat ligatus in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam Iudicis? nu. 9.

Pœnam vltimi supplicij pati tantùm tenetur delinquens quando per ministrum iustitiæ executioni mandatur. nu. 10.

Clerici duellantes sunt deponendi: requiritur tamen iudicis sententia. num. 11.

Quando verò efficiantur irregulares, habetur eodem num. 11. remissiuè.

Pœna priuationis beneficij ipso facto, quando ligat delinquentem in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam. nu. 12.

Pœna inhabilitatis non habet vim in foro conscientiæ, ante sententiam declaratoriam Iudicis. nu. 13.

Trahuntur quatuor regulæ generales ad cognoscendum quando pœnæ, quæ imponuntur a lege ipso facto, ligent in foro animæ ipsum delinquentem ante Iudicis sententiam. nu. 14.

QVIA



QVIA pœnæ contra duellantes sunt diuersæ, etiã erunt decisiones, ideo discurrendo per singulas.

Primò per præsentem Constitutionem Clem. 1
VIII. & alia iura sunt declarati excommunicati maioris excommunicationis ipso facto, absque vlla monitione, & iudicis decreto. Hæc pœna statim afficit, & ligat ipsum delinquentem in foro conscientiæ, commisso crimine pro quo est imposita non expectata alia Iudicis sententia. Sic enim est Ecclesiæ vsus, & praxis, & in hoc conueniunt Doctores communiter Soto de iusti. & iure lib. 1. q. 6. art. 6. concl. 2. Caiet. in 2. 2. D. Thom. q. 62. artic. 3. Couarr. de sponsalibus. in 2. p. r. cap. 6. §. 8. num. 16. vers. nonò ex præmissis. Ludouic. Molina de iustit. & iure disputat. 96. vers. vt verò &c. & alij. Et ratio est, quia dum Ecclesia priuat hominem suis suffragijs, aut susceptione sacramentorum, non priuat eum bonis suis proprijs, quæ iure peculiari possidet, sed communibus, quorum ipsa est dispensatrix: Vnde dum excommunicat ipso facto, videtur dicere, Qui talem admiserit culpam, non sit nostrorum sacrificiorum, ac consortij particeps.

Ex hac decisione sequitur, quòd licet alij non teneantur vitare dictum excommunicatum, quousque à Iudice sit, vt talis denunciatus per cedulas, vt patet per Extrauagan. Martini V. quæ incipit, Ad euitanda scandala &c. tamen ipse excommunicatus, quanuis occultus sit, tenetur seruare dictam excommunicationem, & abstinere se ab omnibus actibus tam in diuinis, quàm in humanis, vetitis, excommunicatis. Nã per dictam Extrauag. in nullo subleuantur ipsi excommunicati occulti, vel manifesti, vt docet Sayrus in suo Thesauro casuum conscientiæ lib. 2. cap. 12. num. 12. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 4. concl. 1. vers. vnum autem. Couar. in cap. Alma mater. de senten. excommun. in 6. in prima par. r. §. 2. num. 11. versic. His accedit Vgolinus de censuris Ecclesiast. tab. 2. cap. 7. §. 1. & alij.

Secundò, per præsentem Extrauag. ipso facto supponũtur 2
Ecclesiastico interdicto Ciuitates, Terræ, Senatus, Populus, &c. Hæc pœna similiter statim afficit, & ligat delinquentes

in foro conſcientiæ commiſſo crimine, pro quo eſt impoſita non expectata alia iudicis ſententia: Probatur eadem ratione, & vſu vniuerſalis Eccleſiæ, & eorumdē DD. auctoritate.

Ex qua deciſione ſequitur idem, quod dictum eſt de excõmunicatione, & eadem ratione.

3 Tertiò, perpetuò priuantur ipſo facto Eccleſiaſtica ſepultura, ſi deceſſerint in ipſo conflictu duelli, vt habetur in Decreto Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 19. §. qui verò &c. ſub Decreto de Reform. & in præſenti Extrauag. Clem. VIII. verſ. quinimo &c. in fine.

Hæc pœna habet locum in duello publico, cùm imponatur à Concilio Trident. quod loquitur de duello publico: Et quia in iſto caſu lex eſt clara, & factum eſt notoriũ, nõ requiritur aliqua ſententia declaratoria iudicis, vt non ſepeliatur.

Verùm quia eadem pęna afficiuntur per Bullã Greg. XIII. quæ incipit, Ad tollendum &c. verſ. Auctoritate Apoſtolica &c. & per præſentem Extrauagãtem Clem. VIII. verſ. Quinimo &c. in fine. non ſolùm duellantes, & eorum patrini in duello publico, ſed etiam in duello priuato, & alij quomodolibet fuerint huius criminis participes, Dubitari poteſt.

Vtrum duellantes, & eorum patrini in duello priuato, & alij huius criminis quomodolibet participes tã in duello publico, quàm priuato morientes in ipſo conflictu debeant priuari eccleſiaſtica ſepultura abſque alia ſententia declaratoria Iudicis, ſicut dictum eſt de duellantibus, & patrinis in duello publico.

Reſpondeo, quòd ſi notorium eſſet, mortuum in conflictu deliquiſſe contra præſentem Cõſtitutionem Clem. VIII. nullo pacto debet ſepeliri in loco ſacro: quia iam incidit ipſo facto in pœnam: nec exigitur actus Iudicis vt exequatur: & ſic eſt vſus Eccleſiæ.

Si verò non eſſet notorium deliquiſſe, dato, quòd per ſufficientes teſtes probari poſſet, & dato quod factum eſſet publicum, non debet Parochus publicè denegare mortuo eccleſiaſticam ſepulturam, cùm non ſit notorium deliquiſſe contra præſentem Extrauagan. nec deceſſiſſe in notorio peccato mortali.

Nec

Nec debet sepelire eum, sed rem totã deferre superiori Ecclesiastico, nempè Episcopo, vel eius Vicario, qui summariè capta informatione sententiam ferat.

Prætereà dubitari posset, quid si in ipso conflictu sit vulneratus, & completo conflictu, eodē, vel alio die moriatur, an priuari debeat ecclesiastica sepultura, si ante mortem ostenderit signa contritionis, vel sacramentaliter confessus fuerit recipiendo absolutionem à censuris, & peccatis, vel viaticum acceperit. 4

Et videtur dicendum, quòd priuari non debeat Ecclesiastica sepultura.

Primò, quia non sine causa posita est illa particula (si in ipso conflictu decesserint.) nam moriendo in ipso cõflictu moritur in notorio peccato mortali, & excommunicatus: Vnde merito erat perpetuò priuandus ecclesiastica sepultura.

Secundò, ista pœna est grauissima, & odiosa inter Christianos: sed odia debent restringi. c. odia. de reg. iur. in 6. Igitur non debent ampliari ad mortem extra conflictum secutam.

Tertiò, si voluntas Concilij fuisset, vt punirentur hac pœna, etiam morientes finito conflictu, non dixisset (in ipso cõflictu) sed (occasione conflictus.)

Quartò cui conceditur quòd est plus, non debet denegari quod est minus. c. cui licet. de reg. iur. in 6. sed istis conceditur viaticum; ergo non debet eis denegari ecclesiastica sepultura; quæ est minus.

Quintò hæc est opinio Abbatis in c. Cum ad monasteriũ. num. 15. de statu Monachorum, & Regul. ex glo. ibi, verbo in sterquilinio, ibi, de penitente; Deducit enim, quod si quis decedat ex facinoroso actu, si tamen in vltimo vitæ, seu puncto mortis ostendat contritionem, non debet priuari Ecclesiastica sepultura.

Sed oppositum verius videtur; Primò per tex. in c. 1. extra de tornea. per quem tex. morientes in torneamentis priuãtur ecclesiastica sepultura, quamuis illis pœnitentia non negetur, si ante mortem postulauerint.

Et ratio huius decisionis fuit, vt viui terrerentur, cùm viderent in campis mortuos sepeliri, & à talibus prohibitis abstinerent:

nerent: Ita docet glo. fin. in d. c. 1. de torneamentis. Hostiens. ibidem, & Syl. in verb. sepultura. §. 9. vers. secundo &c. Vnde cum eadem ratio, immo multò maior militet in duello, quod est eiusdem speciei cum torneamentis; sequitur; quòd idem ius seruari debeat per tex. in cap. dudum il secundo, extra de elec. & cap. cum dilecta. de confirmat. vtil. vel inutil. ff. ad leg. Aquil.

Secundò seipsos occidentes indistinctè priuantur Ecclesiastica sepultura, vt patet ex c. Placuit. 23. q. 5. & ex. c. Ex parte il secondo extra de sepulturis; quam pœnam non euadunt dato quod in articulo mortis constet de eorum pœnitentia; ita docet Ioannes Gutierez in lib. 2. Canonicarum quæstionum cap. 3. num. 8. Et pro hac opinione adducit Paludanum in 4. sent. Dist. 20. q. 1. col. 1. & Nauar. in c. 1. de Penit. dist. 7. nu. 3. Qui dicunt quod pro istis qui seipsos occiderunt, & in vltimo vitæ spiritu criminis dolorem, & contritionem ostenderunt licet priuatim tantum orare, non verò publicè; Ex qua doctrina deducit, si enim priuatim tantum licet orare pro huiusmodi delinquente pœnitente, & non publicè; Ergo publica, hoc est Ecclesiastica sepultura gaudere non debet. Et rationem reddit, quia est pœna exterior sui reatus, vt alij eo exẽplo moti à similibus delictis arceantur. Ergo cum eadem ratio procedat in casu nostro, eadem etiam seruari debet iuris dispositio, per iura superius allegata.

Tertiò in iure non inuenio, vt hæc pęna tollatur per confessionem sacramentalem, & sacratissimam cõmunionem.

Nec in contrarium adducta obstant.

Primum non obstat, quia in eodem conflictu dicitur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moriatur, sicut Ecclesia dicitur sanguine polluta, si quis in ecclesia est vulneratus, licet sanguinem non effundat in Ecclesia, sed extra illam, vt docet Nauar. in Manuali cap. 27. num. 251.

Secundũ non obstat, quia licet ista pęna videatur odiosa respectu mortui, tñ respectũ viuorũ, ad quorũ terrorẽ imposita fuit, vt arcerentur à peccatis, est fauorabilis: Vnde cũ odiũ respiciat priuatã vtilitatẽ, fauor verò publicã, potiùs debet ampliari, quam restringi; vt docet Dyn. in c. odia de reg. iur. in 6.

Ter-

Tertium non obstat, quia in cap. 1. de torneamentis non dicitur, si occasione torneamentorum mortuus fuerit; sed ibi in torneamento mortuus fuerit, & tamen si accepto vulnere in torneamento postea moriatur, etiam accepta pęnitentia, carere tamen debet Ecclesiastica sepultura; vt clarè colligunt DD. ex illo tex. Ergo similiter dicēdū est in casu nostro.

Quartum non obstat, quia non negatur delinquenti quod est plus, nempe pęnitentia, & viaticum propter salutem animæ eius; negatur tamen quod est minus diuersa ratione, népe in pęnam delicti, & etiam vt viui terreantur, & à prohibitis abstineant. Vnde cùm sit diuersa ratio in eo quod minus est, regula allegata non habet locum.

Quintum non obstat, quia hæc opinio contra Abbatem est magis iuri conformis, & magis approbata à Doctoribus, vt patet ex supradictis.

Insuper dubitari posset, quid si de facto sepeliretur in sacris.

Respondeo, quòd debet exhumari, si eius cadauer ab alijs distingui poterit. arg. tex. in cap. sacris. de sepult. Si verò distingui non posset, exhumandus non erit, ne innocens simul cum nocente sepultura priuetur. Ità Vgol. de cens. ecclesiast. 8
in genere tab. 5. cap. 9. §. 4. & cap. 11. §. 1. nume. 14. & alij, quos refert & sequitur Sayrus de cens. Ecclesiast. lib. 5. cap. 8. num. 22.

Quartò infamiæ pęnam incurrunt, vt patet in Decreto Cōcilij Trid. sess. 25. cap. 19. §. qui vero. sub Decreto de Reformat. & in Bulla Pij IV. versic. Nos quorum est &c. quæ pęna incurritur ipso facto, quemadmodum pęna excommunicationis quæ in eadem periodo imponitur.

Et quia hæc pęna non requirit actum Iudicis, & permissa est cum pœna excommunicationis, quæ afficit delinquentes statim absque alia Iudicis declaratione. Sic etiam & ista statim commisso crimine afficit delinquentes absque alia declaratione Iudicis.

Auferri tamē potest infamia à seculari Principe quoad secu 6
lares suos subditos: quo verò ad subiectos Papæ, auferri potest per ipsum Papam: Ita Panorm. in c. cum te. de sent. & re iud. quem refert & sequitur Syl. in verb. infamia, nu. 16.

Quando verò Laici non subditi Papæ vellent promoueri ad ordines, possent etiam restitui in integrum per Summum Pontificem. ita Syl. in verb. infamia. §. 12. nu. 17.

In quibus autem casibus infames occasione huius delicti efficiantur irregulares, dictum est in præcedenti quæst. 6. in fine. nu. 6.

Quintò eorum bona proscribuntur, confiscantur, & illis priuantur ipso facto, vt clarè patet per Decretum Conc. Trident. sess. 25. cap. 19. §. qui vero. sub Decreto de Reformat. & per Bullam Pij I V. quæ incipit, Ea quæ &c. vers. nos quorum est. &c.

7 Hanc pœnam soluere non tenentur delinquentes in foro cõscientiæ ante sententiam: & executionem Iudicis, vt latè probat Couar. in epitom. ad 4. Decret. in 2. p. 1. de sposalibus. c. 6. §. 8. num. 10. vers. Tertiò hinc deducitur &c. Caiet. in 2. 2. D. Tho. q. 62. art. 3. & in Summula verb. pœna Soto de iust. & iure, lib. 1. q. 6. art. 6. & est communis inter Theologos, & Iuristas, vt docet Ludouicus Molina de iust. & iur. disput. 95. versic. contrariam sententiam &c.

8 Clausula verò supradicta ipso facto tria operatur,

Primùm, vt lata sententia delicti retrotrahatur cõfiscatio à tempore commissi delicti, ita vt bona omnia, quæ à cõmisso delicto illius fuerunt, ad quemcunque, quocũque titulo deuenerint, pertineant ad fiscum. Ita docet Tabien. in verb. Assassinus. num. 3. in fi. & num. 4. & verb. Alienatio. num. 19. Sylu. in verb. Alienatio. §. 28. num. 25. in fine. Angelus in eodem verb. num. 24. Mich. Salon in 2. 2. D. Thom. quæst. 62. art. 3. controu. prima post concl. 3. vers. ad secundum respondeo, & alij.

Secundò operatur restitutionem fructuum medij temporis iuxta tex. in l. eum qui. ff. de his quibus vt indign. in princ. & ibi glo. in verb. vẽdicatorum. & docet Francus in c. Felicis. §. nullus. de pœnis. in 6. Fel. in c. Rodulfus. de rescrip. & DD. supra allegati.

Tertiò operatur, vt in crimine læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ dicta pœna transeat ad hæredes, c. accusatus. §. pen. de hæret. in 6. l. vlt. C. ad leg. Iul. Maiest.

Sextò, priuantur facultate testandi per Pium IV. in sua Bulla, quæ incipit Ea quæ: iuncta Bulla Leonis X. quæ incipit, Quam Deo &c. quam ipse Pius IV. confirmat.

Hæc pœna incurritur ipso facto, vt ex ipsa Bulla Pij IV. faciliter colligi potest: Et licet nullum actum Iudicis exigat pro eius executione; tamen in foro conscientiæ non ligat delinquentes, nec vim habet ante sententiam declaratoriam Iudicis commissi delicti: Primò, quia est permissa cum pœna confiscationis bonorum, & alia pœna pecuniaria, quas pœnas nō tenentur delinquentes soluere ante sententiam declaratoriam iudicis, vt dixi in præcedenti numero.

Secundò, quia est nimis grauis, & ideo per epicheiam interpretandum est non ligare delinquentes in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam Iudicis; sed potius fuisse positā ad terrorem.

Ex hac igitur opinione corollariè sequitur, ꝗ si quis post commissum delictum moriatur facto testamento, & relicto hærede Titio, non peccat, & poterit Titius hæreditatem sibi relictam ex tali testamento adire tuta conscientia, nec tenetur illam fisco, vel legitimis hæredibus restituere ante sententiā declaratoriam Iudicis.

Septimò puniri debent vltimo supplicio vt homicidæ, & 10
rebelles, vt per Concil. Trid. sess. 25. c. 19. §. qui verò &c. & per Bullam Pij IIII. quæ incipit, Ea quæ, versiculo. Nos quorum est &c.

Hanc pœnam pati tenentur tantùm delinquentes, quando à iudice condemnantur, & ordinatione eiusdem iudicis per iustitiæ ministrum executioni mandatur. ita Soto de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 6. concl. 5.

Octauò Clerici duellantes siue obtulerint, siue oblatum duellum susceperint, sunt deponendi per text. in c. 1. de Clerico pugn. in duello.

Hæc pœna non imponitur ipso facto, & ideo requiritur Iu- 11
dicis condemnatio, vt incurratur tam in foro exteriori, quàm interiori conscientiæ.

Quando verò efficiantur irregulares, dictum est supra q. 6. num. 6.

Nonò Clerici duellantes, vel locũ ad duellum cõcedentes, consulentes, astãtes, interessentes, comitantes, comitiuam prę stãtes, adhærentes, fautores, necnõ chartas certaminis scribentes, affigentes, publicantes &c. nõ solum excommunicantur ipso facto, cuius absolutio est Summo Põtifici reseruata: Sed etiam ipso priuãtur omnibus, & singulis Ecclesijs, dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus; & ad quæ ius eis competit, & illa tanquam per priuationẽ huiusmodi vacantia ab alijs impetrari possunt, per Pium IV. in Bulla, quæ incipit, Ea quæ. & Clem. VIII. in præsenti Bulla vers. Ipsas vero &c. in fine, ibi; pœnis alijs &c.

Prædicta pena licet incurratur ipso facto, & commisso delicto possit ab alio impetrari beneficium, tamen in foro cõsciẽtiæ non ligat delinquentẽ ante sententiam declaratoriã: Vnde sequitur; quod licitè possit illud retinere ante sententiã, vel antequam ab alio impetretur, nec teneatur sponte illud renunciare: Ita docet Soto in lib. 1. de iust. & iur. q. 6. art. 6. præsertim in respons. ad vlt. Couar. in epit. de sponsalib. 2. p. r. c. 6. §. 8. nu. 8. vers. hic accedit &c. Nauar. in Bulla de datis & promiss. Gregor. XIII. corollar. 31. num. 41. & Lud. Molina de iust. & iur. disp. 96. §. quod attinet &c.

Et ratio est, quia ista pœna exigit actum iudicis, & nimis durum esset obligare pœnitentem ad illam à se ipso exequendam.

Nec obstat Extrauag. Ambitiose Pauli II. in qua priuatur ipso facto absque alia declaratione beneficio ecclesiastico alienans bona suæ Ecclesiæ: Nam respondetur, quòd illa acerbitas pęnæ fuit statuta in fauorem Ecclesiæ, vt omnino abstinerent Ecclesiastici à rebus ecclesiæ alienandis.

Præterea, vt bene annotant Sot. & Molin. in locis prællegatis, illa Bulla magis confirmat nostram sentẽtiam; nam cum clausula (absque declaratione) non sit in casu nostro, sequitur non fuisse mentem Summi Pontificis Pij IV. priuare illũ absque alia sententia declaratoria delicti, vel incursionis pęnæ.

Amplius, quando collator confert beneficium, videtur illud conferre sub tacita conditione, vt dum eius bona alienauerit, dicto beneficio priuatus intelligatur: Ita Sot. de iust. & iur.

iur. lib. 1. q. 6. art. 6. in finalibus verbis vnde videtur potius cōditio, quàm pœna.

Decimò, eiusdem Clericis supradictis vltra prædictas pœnas imposita etiam est pœna inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: Quæ pœna licet incurratur ipso facto, nec 13
requirat actum iudicis; tamen vim non habet in foro animæ ante latam sententiam.

Primò, quia permissa est cum pœna priuationis beneficij, & sicut delinquens non tenetur beneficium renunciare, & relinquere ante sententiam iudicis; sic etiam non tenetur pati dictam pœnam inhabilitatis ante sententiam Iudicis.

Secundò, cùm sit pœna nimis acerba, interpretanda est per epicheiam hoc pacto; ne laqueus iniijciatur animabus, dum non constat de clara mente legislatoris, quod intendat obligare in conscientia absque vlla alia sententia.

Tertiò, in Vniuersitatibus licet scholastici priuētur ipso facto iure ferendi suffragium ob aliquod delictum. tamen arbitratur Sot. in lib. 1. de iusti. & iur. q. 6. art. 6. suffragium ferre posse antequam sententia feratur.

Idem etiam censet Lud. Mol. in casu nostro in lib. 1. de iusti. & iur. dispu. 96. §. duo obserua &c. Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 2. c. 39. nu. 32. vers. De inhabilitate autem &c. & Nau. in Bulla Greg. XIII. de Datis & Promissis. nu. 44.

Ex dictis colliguntur aliquæ regulæ generales, quarum Pri- 14
ma est, quòd quando pœna est bonorum temporalium, quæ sunt propria ipsius delinquentis, quamuis lex infligat illā pœnam ipso iure, vel ipso facto, non debetur in foro conscientiæ ante declarationem commissi delicti, & executionē Iudicis, etiamsi dicat lex absque alia declaratione facti, vel pœnæ: Et etiam si factum, siue crimen commissum sit notoriū, quod nullam excusationem habeat: Ita eruditissimè docet, & probat Sot. de iust. & iur. lib. 1. quæst. 6. art. 6. concl. 1. & docent etiam communiter Doct. quos allegaui supra num. 5. & 6. & vltra illos docet etiam Grassius in suis decis. vol. 1. lib. 2. c. 11. à num. 26. vsque ad nu. 31.

Quæ regula procedit etiam in pœna conuentionali, quæ non debetur quousque à creditore petatur: ita docet idem

Graffius vbi supra num. 32. Ludouicus Molina de iust. & iure disputa. 97. in fine Couar. in epit. de sponsalibus 2. part. 1. cap. 6. §. 6. num. 12. Nauar. in Manuali cap. 23. num. 67. Sanchez de matrim. vol. 1. lib. 1. disp. 37. Et ratio est, quia dum à creditore non petitur, iusta conscientia præsumi potest, creditorem nolle pœnam recipere.

Secunda regula est de pœnis spiritualibus, de quibus concors est omnium Doctorum sententia, quòd quando lex imponit pœnam excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel irregularitas ipso iure, vel ipso facto, vel alijs æquipollentibus verbis, statim commisso crimine, pro quo sunt impositæ, incurruntur in foro conscientiæ absque alia declaratione, & ministerio iudicis: Ita est praxis, & vsus Ecclesiæ, vt docet Couar. in epit. de sponsalib. 2. p. 1. cap. 6. §. 8. nu. 16. in fi. Nauar. in Man. cap. 23. num. 67. Lud. Mol. de iust. & iur. disput. 96. §. vt vero &c. Caiet. in 2. 2. D. Thom. q. 62. artic. 3. Sot. de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 6. & alij.

Tertia regula est de officijs, & beneficijs, quæ non est ita tuta, & certa quemadmodum duæ superiores. Regula enim est, quòd quando lex dicit, vt ipso iure, vel ipso facto sit priuatus officio, vel beneficio, quæ passim habentur in iure, necessaria sit iudicis sententia, ad hoc delinquens relinquere teneatur officium, vel beneficium: Ita Sot. de iustit. & iure, lib. 1. quæst. 6. art. 6. Lud. Molin. de iustit. & iur. disput. 96. §. quod attinet. Nauar. in tract. de datis & promiss. corollario 31. num. 41. & Couar. in Epitom. de spons. lib. 2. p. 1. c. 6. §. 8. num. 5. vers. his accedit.

Si verò lex dicit non solum ipso iure, vel ipso facto, sed etiam addat absque alia declaratione, vel Iudicis sententia, vt fecit Paulus II. in Extrauag. Ambitiose. de rebus Ecclesiæ non alienan. tunc obligat in conscientia ad relaxandum officium, vel beneficium absque alia Iudicis sententia: quia illa verba, absque alia declaratione, vel Iudicis sententia, videntur clarè innuere mentem Summi Pontificis esse, vt amittatur nulla expectata sententia. Ita Sot. de iustitia & iure lib. 1. quæstio 6. art. 6. in fine. Ludou. Mol. de iusti. & iure. dispu. 96. §. quod attinet &c.

Quæ regula erit vera in officijs, & beneficijs collatis, & obtentis post promulgationem legis; quia videntur esse colla ta sub illa tacita conditione, vt seruetur lex, qua non seruata statim in foro conscientiæ tenetur relaxare officium, vel beneficium sub illa conditione obtentum, vt docet Sot. de iust. & iure lib. 1. q. 6. art. 6. in fi. & in respon. ad quartum, versic. Atque huic præterea &c. & idem docet de legibus secularibus, quibus Principes solent ligare manus ministrorum iustitiæ ne munera captent.

In officijs verò, & beneficijs obtentis antè promulgationẽ legis; quia dicta clausula (ipso iure, vel ipso facto absque alia declaratione, vel iudicis sententia) habet rationem pœnæ, & non conditionis, credo quòd temperari posset dicta regula in hoc casu, vt relaxare non teneatur delinquens, nisi lata sentẽtia declaratoria iudicis: quia obligare delinquentes in conſciẽtiã ad relaxandum officia, & beneficia, quæ absque vlla tacita, vel expressa conditione obtinuerunt, esset nimis durum, & difficile obseruatu.

Quarta regula est de pœnis, quæ nullum actum iudicis exigunt ad exequendum illas, vt sunt pœnæ infamiæ, priuationis ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatis, priuationis vocis in Collegio, inhabilitatis ad testandum, depositionis, & his similes, de quibus certa regula dari non potest, sed considerandæ sunt circunstantiæ, quæ illis adhærent.

QVAESTIO VIII.

Ignorantia huius Constitutionis, vel aliorum iurium contra duellantes statutorum, Quæritur an excuset à pœnis in ea, & in illis inflictis, præsertim in foro conscientiæ?

SVMMARIVM.

Ignorantia diuiditur quatuor modis. num. 1.

Lex vbi sufficienter est promulgata, obligat etiam inuincibiliter ignorantes. num. 2.

Differunt hæc, lex non obligat ignorantes, vel illos obligat, sed excusantur à peccato, & pœna. nu. 3.

Lex

Igno-

Hæc



HÆC quæstio comprehendit in se multas difficultates.

Prima difficultas est, Vtrum Cõstitutiones Põtificiæ contra duellantes statutæ, & sufficienter Romæ publicatæ, ligent omnes, etiam ignorantes, dato quòd in alijs prouincijs non sint promulgatæ à suis Prælatis?

Secunda difficultas est, vtrum alleganti ignorãtiam supradictarum Constitutionum in foro conscientiæ, sit ei à Confessario credendum?

Tertia difficultas est; Si quis ignoraret supradictas Constitutiones contra duellantes statutas, & committeret actum damnatum non solùm à supradictis iuribus; sed etiam à iure diuino, vel naturali, vel alijs legibus positiuis; Vtrum incurreret pœnam excommunicationis in illis latam contra contrafacientes illis?

Quarta difficultas est, Si quis haberet notitiã supradictarũ Constitutionum contra duellantes latarum; ignoraret tamẽ probabiliter pœnam excommunicationis contrafacientibus illis esse impositam, vtrum esset excusatus à dicta pœna excõmunicationis in foro conscientiæ?

Quinta dubitatio est: Vtrum ignorantia inuincibilis Constitutionum contra duellantes latarum, & Decreti Conc. Trident. excuset in foro conscientiæ contrafacientes à pœna interdicti, si actus esset aliàs damnatus?

Sexta difficultas est, Quòd si ignorantia non esset Constitutionum, sed tantùm pœnæ interdicti, An excusaret contrafacientes à dicta pœna?

Septima difficultas est, vtrum sit idem iudicium de pœna suspensionis, & irregularitatis ex delicto consurgentis, quod de pœna excommunicationis, & interdicti?

Octaua difficultas est. An ignorantia facti excuset à censuris contra duellantes inflictis?

Nona difficultas est. Ignorantia comitans tam iuris, quàm facti, An excuset in foro conscientiæ à culpa, & à pœnis duellantes operantes cum illa?

Decima difficultas est, Ignorãtia comitans non iuris, neq; facti,

facti, sed pęnarum contra duellantes statutarum, An excuset contrauenientes?

Vndecima difficultas est, Ignorantia affectata siuè iuris siuè facti, siuè pęnarum contra duellantes inflictarum, An excuset contrauenientes?

Duodecima difficultas est, Quid dicendum de ignorantia crassa, & supina, An excuset contrafacientes cum illa?

Tertiadecima difficultas est, Si quis actuali obliuione faceret aliquam actionem prohibitam, & punitam ab hac Extrauagan. quam habitualiter sciebat esse prohibitam; An in foro conscientiæ excusaretur à censuris contra duellantes inflictis?

Quartadecima difficultas est, Ignorantia reseruationis casus duelli facta à Clement. VIII. bonæ memoriæ, nempe prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretū sacri Concilij Trid. & Constitutionem felicis recordationis Gregorij XIII. An excuset contrafacientes à dicta reseruatione, ita vt illis non obstante possint absolui à priuilegiatis absoluendi à censuris, & casibus reseruatis sedi Apostolicæ, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini.

Quintadecima difficultas est, An in foro iudiciali externo admittatur probatio ignorantiæ, non obstante quòd de iure præsumatur scientia? Et quomodo probetur?

Pro faciliori igitur intelligentia supradictarum difficultatū aliqua sunt præmittenda.

Præmitto primò, quòd ignorantia, quæ ad nostrum facit propositum, diuiditur multis modis. 1

Primò diuiditur in inuincibilem, & vincibilem: Inuincibilis ignorantia est, cùm is, qui ea laborat adhibita diligentia ad sciendum, aut non potest eam vincere, hoc est eam depellere: aut siquidem posset, tamen non debet. Vincibilis verò ignorantia est, quæ adhibito studio diligenti, vinci, & superari, hoc est depelli, & abijci potest, & debet: Non enim sufficit, si possit eam depellere, nisi etiam de ea depellenda teneatur.

Ex hoc efficitur, vt ignorantia inuincibilis sit inuoluntaria, quia deponi, & excludi, aut non potest, aut non debet: Legum verò, & Canonum interpretes appellant inuincibilem Probabilem

bilem siue iustam ignorantiam: Vincibilem verò Improbabilem siue in iustam ignorantiam: Vnde secūdum illos Probabilis est, quam leges, & Canones approbant, ex eo quòd bona fide, & sine culpa contrahitur: Improbabilis verò dicitur illa, quam leges, & Canones non approbant, ex eo, quod mala fide, & cum culpa contrahitur: Ita docet Corduba in suo Quæstionario lib. 2. q. 6. propositione prima, & Azorius in tomo 1. Inst. Moral. lib. 1. c. 12. q. 1. vers. Tertiò &c.

Secundò ignorātia vincibilis, siue Improbabilis est duplex: alia affectata, & alia crassa. Affectata ignorantia est, cùm quis de industria ignorat aliquid, ne ab agendo quod vult, retardetur, vel retrahatur si sciat: vt exempli gratia, Titius nollet scire ieiuniorum tempora, aut dies sacros, vt liberius edendo, & bibendo ventri indulgeret, aut Missæ sacrum omitteret, de quibus dicitur in psalmo 35. noluit intelligere, vt bene ageret: Crassa verò ignorantia est, cū quis negligenter se gerit in sciēdis ijs, quæ alioqui nosse deberet. Vnde ignorantia, affectatā est directè, & expresse voluntaria: Crassa verò indirectè, & implicitè. ita docet Azorius tomo 1. inst. moral. lib. 1. c. 12. q. 1. vers. quartò diuiditur &c.

Tertiò diuiditur ignorantia in ignorantiam iuris, & ignorantiam facti.

Iuris ignorantia est, quia ignoratur ius: Ignorantia verò facti est quando ignoratur opus aliquod factum esse: vt exempli gratia: Si aliquis duellum committat ignorans esse à lege prohibitum, est ignorantia iuris; Si verò sciat duellum esse prohibitum, sed ignoret hanc pugnam esse duellum, est ignorantia facti: & sic de similibus.

Quartò & vltimo diuiditur ignorantia in antecedētem, comitantem, & consequentem. Antecedens est, cùm quis si sciret non peccaret, & quia ignorat, delinquit: quare meritò dicitur antecedere peccatum, quia est causa peccati: & quia antecedit omnem voluntatem non solùm explicitam, sed etiam implicitam, proinde nullo modo voluntaria est. ita Vasq. in. 1. 2. D. Thom. tomo 1. disp. 117. cap. 1. vers. postrema diuisio. Comitans ignorantia est, cùm quis peccando ignorat se peccare, sed nihilominus peccasset (tametsi notitiā habuisset)

ſit) quæ nec vllo modo voluntaria eſt, nec antecedit opus: vt exempli gratia; Quis occidit hominem putans eſſe ferã, nec talem ignorantiam vincere potuit, aut debuit: tali tamen affectu, erat actu, vel habitu, vt ſi ſciuiſſet, nihilominùs occidiſſet: qui autem hoc modo operatur, non dicitur ex ignorantia, vel propter ignorantiam, ſed cum ignorantia operari, vt inquit Ariſtoteles in 3. Ethicorum c. 3. & Vaſq. vbi ſupra verſ. poſtrema diuiſio.

Conſequens ignorantia eſt, quæ tanquam effectus ex peccato naſcitur: qualis eſt illa ignorantia, in quam quis incidit culpa ſua ex ebrietate, vel furore: Et dicitur ignorantia conſequens, quia conſequitur actum voluntatis.

Præmitto ſecundò, quod lex vbi ſufficienter eſt promulgata, ita vt ſcientes liget, obligat etiam inuincibiliter ignorãtes. cap. 1. de poſtul. Prælator. Auth. vt nouæ cõſtitutionis. §. Sancimus. collat. quinta. Et ratio eſt, quia talis lex habet iam cõpletam legis rationem, ac ſubinde perfectam obligandi vim, nec vnicuique eſt notificanda. Præterea virtus obligandi ex ipſa legis natura, & virtute, non ex ſubditi notitia proficiſcitur: quod probatur, quia ignarus legis ſufficienter promulgatæ, ſi certior de illa fiat à viro fide digno, ad illam tenebitur; ergo ante tenebatur; non enim vir ille ſua aſſeueratione legis virtutem obligandi tribuit: ita docet Sot. de iuſt. & iure lib. 1. q. 1. art. 4. concl. 3. 2

Præmitto tertiò, quod eſt differentia inter hæc, lex nõ obligat ignorantes, vel illos obligat, ſed excuſantur à peccato, & pœna: Nam ſi dicimus obligare quamuis ignorans excuſetur à culpa tranſgreſſionis & pœnæ: tamen non excuſabitur ab aliis legis effectibus: At ſecùs dicendũ eſt, vbi lex non obligaret ignorantes: Vt exempli gratia, Decretum Concilij Trident. de matrimonio clandeſt. obligat ignorantes, vbi publicatum eſt: ex quo fit, vt contrahentes clam matrimonium in eo loco, ignari inuincibiliter Decreti minimè peccent, nec ſubdantur illius pœnis; & matrimonium illo decreto irritum erit & nullum: At vbi Decretum non obligat, matrimoniũ eſt validum, & tale eſſet, ſi diceremus illud nõ obligare ignorantes: ita Sot. vbi ſupra verſ. at verò preſſius &c. 3

Præ-

4 Præmitto quartò, quod quanuis lex sufficiẽter sit promulgata, si actum nullo alio iure prohibitum puniat, ignari illius legis à culpa, & illius pęnis eximuntur. Et ratio est, quia nullus sine culpa est puniendus: Regula sine culpa, de reg. iur. in 6. & in hoc cõueniunt omnes Doctores, vt latè probat Sayr. de cens. ecclesiast. lib. 1. cap. 18. num. 21. & Sanchez de matrim. tomo 3. lib. 9. disput. 32. nu. 6. Discrepantia sola est inter DD. quando actus ille erat alio iure antiquiori damnatus siue diuino, siue naturali, siue humano: Et in hoc versatur nostra controuersia.

Præmitto quintò, & vltimò, quod pœnæ contra duellantes statutæ sunt in duplici differentia: nam quædam sunt, quæ non incurruntur in foro conscientiæ, nisi post cõdemnationem factam à iudice in foro exteriori; vt pęna depositionis infamiæ, priuationis bonorum temporalium, & similia: Aliæ verò sunt pęnæ, quæ ipso facto incurruntur in foro conscientiæ etiam absque alia iudicis declaratione; & etiam si delictũ sit occultum, vt pęna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, quando ipso facto imponuntur.

His igitur præmissis, statuo infrascriptas conclusiones pro resolutione præpositæ quæstionis.

5 Prima Conclusio, omnes Constitutiones Pontificiæ, quæ de duello tractant, cùm sint sufficienter Romæ publicatæ, ligant omnes etiam ignorantes, dato quod in alijs Prouincijs non sint promulgatæ à suis prælatis; & hoc ex stylo, & consuetudine Romanæ Curiæ: Ita etiam Decretum Concilij Trid. de duello in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformat. cùm sit à Pio IV. approbatum, & Romæ publicatum die 17. Februarij 1565. de quo stylo, & consuetudine testatur Nauar. in cons. 1. num. 11. de constit. Azorius tomo 1. instit. mor. lib. 5. cap. 3. q. 2. vers. in hac quæstione. in fi. & Iacob. de Graffijs in suis decisionibus casuum conscientiæ tomo 1. lib. 4. ca. 9. num. 26. Et ratio est, quia quando publicatio fit in Curia Romana verisimiliter infra duos menses potest transire in notitiam aliorum, ex quo in Curia consueuerunt esse homines quasi de omnibus partibus Mundi, vt habetur in cap. 2. de priuil. eg. in 6. Et hanc opinionem docent vltra supradictos.

Sylu. in verb. lex. quæst. 6. Rosella in eodem verb. lex. num. 8. Gomes. de reg. cancel. in prohemio quæst. 2. lit. D. E. & F. Ioa. Monacus in cap. in generali. de reg. iur. in 6. gloss. super data sexti Decreti verb. anno quarto. & alij: Scio tamen multos Doctores descendere promulgationem Cõstitutionum, siue Bullarum Summorum Põtificum esse faciendam in singulis prouincijs ad hoc, vt ligent omnes; tamen consuetudo, & stylus Curiæ, vt dixi, contrarium seruat, quæ consuetudo, & qui stylus Curiæ, vt dixi contrarium seruat; quæ consuetudo, & qui stylus facit ius per totum orbem; Si vis latè videre de hac quæstione, vide Azorium tomo 1. Inst. mor. l. 5. c. 3. q. 2. per totum. 5

Secunda conclusio, In foro conscientiæ si quis assereret nullam habuisse notitiam supradictarum Constitutionum; & Decreti Concil. Trid. vel pęnarum in illis statutarum, credẽdum est ei: quia licet in foro exteriori præsumatur scientia, & alleganti ignorantiam incumbat onus probandi ca. 1. de postul. Prælat. &c. fin. §. alioquin. qui matrimonium accusare possunt: & docent communiter DD. teste Sanch. de matrim. tomo. 3. lib. 9. disp. 32. num. 4. & constat etiam ex Auth. vt factæ nouæ Constitutionis. §. sancimus. §. ne igitur. collat. 5. tamen in foro conscientiæ creditur pœnitenti pro se, & contra se, vt est commune axioma Doctorum teste eodem Sanchez vbi supra in fine numeri 5. & docet Panorm. in cap. cum illorum. n. 15. extra de sent. ex commu. & in c. sicut nobis. n. 4. eod. tit. & S. Tho. cõmuniter receptus in quodlibet. 1. art. 12. 6

Tertia conlcusio, Si quis inuincibiliter ignoraret supradictas Constitutiones, & Decretum Concil. Trid. de duello, & faceret actum damnatum à supradictis, vel alijs legibus positiuis, vel à iure diuino, vel naturali, non incurreret in foro conscientiæ pęnã excõmunicationis in illis latã aduersus contrafacientes: & multò minus si actus non esset dãnatus à lege diuina, vel naturali sed solũ à iure positiuo. Probatur cõclusio 7

Primò, quia ad excõmunicationem incurrendam requiritur contumacia, & inobedientia contra Ecclesię pręceptum, secundum illud Matth. 18. Si Ecclesiæ non obediuerit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus: Sed ignorãs legem Ecclesiæ, 8

siue sit Papæ, siue ordinariorum, nec contumax, nec inobediens Ecclesiæ dici potest, cùm sit paratus obedire Ecclesiæ, si legem ipsius sciret. Ergo excommunicationem non incurrit, ignoranter transgrediendo illam.

9 Secundo pœnæ debent proportionari quantitati culpæ. cap. felicis. de pœnis. sed talis peccans licet offendat Deum, contra cuius legem sit se facere, eique inobediens sit, non tamen conditorem positiuæ legis offendit, cùm ipsam legem ignoret, & sit sine culpa respectu illius: Solùm igitur puniri debet pœna legis diuinæ, quam præuaricatus est, non autem pœna excommunicationis, quæ non ligat nisi ratione contumaciæ, & contemptus, qui contemptus non est in casu nostro.

10 Tertiò sicut in c. vt animarũ. de constit. in 6. statuta Ordinariorum non ligant ignorantes, et si pro delicto iure diuino damnato excõmunicatio imponatur, vt ea ratione animarũ periculis obuietur: pari ratione nec incurri debet excõmunicatio iure positiuo pro culpa lege diuina damnata, vt sic et animarum periculis obuietur: vbi. n. par ratio est, ibi par ius esse debet. cap. 1. de translat. Prælato. l. illud. ff. ad leg. Aquil.

Quartò accedit auctoritas DD. qui fauent huic opinioni, vt Io. Andr. & Gemin. in c. vt animarum. de constit. in 6. Anton. de Butrio, & Panorm. in c. à nobis il 1. de sentent. excommun. Innoc. in c. nouerit. de sentent. excommun. Nauarr. in Man. c. 27. n. 16. & n. 274. Sylu. in verb. ignorantia. nu. 16. & in verb. excommunicatio. 2. nu. 3. & verb. excommunicatio vltimo q. 3. Angelus in verb. excommunicatio 7. casu vlt. nu. 3. Sayrus de censur. ecclesiast. lib. 1. c. 18. n. 31. Azorius tomo 1. inst. moral. lib. 1. cap. 15. q. 3. & 4.

Est tamen aduertendũ, quòd licet supradicta conclusio sit valde probabilis, verior, & communis: tamen multi DD. oppositã docent sententiam; vt videre poterit lector apud Sayrũ in lib. 1. de cens. ecclesiast. ca. 18. n. 28. & apud Sanchez in tomo 3. de matrimonio. lib. 9. disp. 32. n. 7. & 8. sed eorum rationes ex supradictis facile dissolui possunt.

Similiter est aduertendum, quòd id, quod dictũ est de omnib. supradictis cõstitutionib. si quis inuincibiliter illas ignoraret, dicendum est et, si vnam tantùm ignoraret, quia esset excusa-

excuſatus à pęna excommunicationis lata ab illa Conſtitutione ignorata, pro actu ab illa damnato, & punito.

Quarta concluſio, Si quis haberet notitiam ſupradictarũ Conſtitutionum, & Decreti Concilij Trid. contra duellantes ſtatutarum; ingnoraret tamen probabiliter, pœnam excommunicationis contrafacientibus eſſe impoſitam, eſſet excuſatus à dicta pęna in foro conſcientiæ. 11

Probatur iſta Concluſio primò, per tex. in c. 2. de conſt. in 6. in quo vt animarum pericula caueantur, deciditur ignorãtes non ligari ſententijs: Quod Decretum cùm animabus faueat, & generaliter de ignorantia loquatur, videtur amplè interpretandum, vt accipiatur, non de ſola iuris ignorantia, ſed etiam ipſius pęnæ.

Secundò, excommunicatio non fertur niſi ob contemptũ, & contumaciam. cap. nemo epiſcoporum. 11. quæſt. 3. At nõ eſt contemptus, nec contumacia, niſi dellinquens cognoſcat excommunicationem in rebelles eſſe inflictam; quia ſi cognouiſſet, nullo modo peccaſſet: ergo ignorans illam non incidit in excommunicationem.

Tertiò, excommunicatio ex vna parte eſt medicinalis. c. 1. de ſent. excommu. in 6. & ex altera eſt vltima pęna, quã Eccleſia punit: At non eſſet medicinalis, ſed potiùs obeſſet, ſi ignorata incurreretur: Igitur non incidit in illam. 12

Quartò, Ad excommunicationis valorem requiritur, vt monitio præcedat, non quæcunque, ſed ſub excommunicationis pœna. ca. de illicita, 24. q. 3. cap. de Presbyterorum. 17. q. 3. iuncto ca. 1. de ſent. excomm. in 6. Ergo vbi illa non præcedit minimè incurritur. 13

Quintò, accedit auctoritas Doctorũ, qui illam docent, vt Syl. in verb. excõmunicatio vltimo. q. 3. §. 4. Angelus in verb. excommunicatio. 7. caſu vltimo, nu. 3. Nauar. in Man. c. 27. n. 274. Suar. in 3. p. D. Thom. tomo 5. diſput. 4. ſect. 9. num. 19. Graffius in 1. parte deciſio. lib. 4. ca. 9. n. 17. & 18. Sot. Philiarcus, Lopez & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez de matrimo. tomo 3. lib. 9. diſput. 32. n. 13.

Verùm in contrariũ opponi poteſt, quòd obligatio delinquentis ad pęnam eſt naturalis non conſurgens ex delinquen- 14

tis consensu, sed ex auctoritate legis imponentis, & consensu delinquentis ad delicti admissionem; ita vt dato hoc consen-
3 su, oriatur naturalis obligatio ad pęnam, vt cõstat ex Institut. tit. de obligat. quæ ex delicto nascunt. in princip. & alijs iuribus: Ergo qui vult antecedens, nempe delictum, vult necessario consequens, nimirum pęnam. l. illud. ff. de acquir. hæred. Ergo impertinens est, vt delinquens sciat pœnam.

Sed respõdetur, quod intelligi debet de pęna cognita, vel debita cognsci, & delicto proportionata: tale. n. delictum admittẽs sese illi pęnę subijcere nosse debet; quia qui vult antecedẽs, vul ẽt cõsequens quod nouit, aut nosse debet ex illo subsequi. Secus tamen dicendum est de pęnis exorbitantibus de nouo à lege impositis pro delictis etiam iure cõmuni prius damnatis: vt docet Crotus in repet. cap. vt animarum, nu. 27. de const. in 6. quem refert & sequitur Sai. de cens. ecclesiast. l. 1. c. 18. num. 37. & Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 274. vers. decimotertiò & c. sed pœna excommunicationis nulla maior est in ecclesia, vt habetur in c. corripiantur. 24. quæst. 3. Igitur illam pęnam non incurrit.

15 Quinta conclusio, Ignorantia inuincibilis Constitutionũ cõtra duellantes latarum, & Decreti Cõcilij Trid. sicut excusat ab excommunicatione, vt dictũ est supra in tertia conclusione, ẽt si actus ille esset aliàs damnatus, excusat ẽt à pœna interdicti in foro conscientiæ. Probatur ista conclusio primò per tex. in c. 2. de Const. in 6. vbi asseritur ignorantes non ligari sententijs: ibi. n. non est sermo de excommunicationis sententia; sed indefinitè de omnibus sententijs ordinariorũ. Sed indefinita iuris propositio tradens regulam prout ibi fit, æquipolet vniuersali: ergo textus ille nõ solùm de excommunicatione, sed etiam de alijs sententijs intelligitur: ita docet glos. ibi in verb. sententijs. Ioan. Andr. ibid. ad finem versic. in glos. 3. & Dominicus num. 25. versic. nec obstat. & c.

16 Secundò, delinquens nõ punitur vltra animi mensuram. l. qui iniuriæ in initio. ff. de furt. ibi, *Qui iniuriæ caussa ianuam effregit, quamuis inde per alios res amota sint, non tenetur furti.*

Sed in casu nostro delinquens nõ habuit expressum, nec tacitum animum offendendi ius humanum, quòd inuincibili-

ter ignorabat: Ergo ſequitur, quòd immunis ſit à culpa fra-ctionis illius, ac perinde à pœna ex illa conſurgente.

Tertiò, Ius indicens nouam pœnam rei antea prohibitę eſt 17
prorſus nouum quoad eam pœnam, atque ſubinde de illo ac de iure nouo cenſendum eſt; vt docet Ant. de Butrio in cap. 2. de conſtit. num. 13. & 21. & ibi Imola nu. 6. & Feli. eodem num. 6. Sed à noui iuris tranſgreſſione excuſantur illud inuincibiliter ignorantes: Ergo & à pœna illius.

Quartò, non ſolum excommunicatio imponitur ob clauium contemptum, & contumatiam, ſed etiam interdictũ; vt bene notat Francus in cap. 2. de conſtit. in 6. nu. 8. Ergo ſicut excommunicatio requirit ſcientiam iuris poſitiui illam imponentis, ita etiam & interdictum.

Hæc opinio licet ſit probabilis, multi tamen DD. docēt oppoſitum, nempe ſpeciale eſſe in excõmunicatione, quòd ignorantia inuincibilis legis excuſet ab illa, licet actus ſit per alias leges prohibitus, nõ autem excuſetur ab interdicto: Et rationem differentiæ aſſignant, quia excommunicatio eſt vltima Eccleſiæ pœna. ita docet Sot. in 4. ſent. diſt. 22. q. 1. art. 2. ad fi. Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. quæſtio. 12. artic. 1. verſi. ex quo ſequitur Graffius in ſuo 1. tomo deciſio. caſuum conſcient. lib. 4. c. 9. num. 17. & alij.

Tamen noſtra opinio videtur nobis probabilior per rationes ſupradictas, & illam docet Hoſtienſis in cap. reprehenſibilis, de appel. ſuper verb. excommunicationis, vel interdicti. & ibi Io. Andr. nu. 2. Anchar. num. 1. Abb. nu. 3. & 4. & Decius nu. 4. Sylu. in verb. ſuſpenſio. q. 4. Armilla in verb. ſuſpenſio. num. 17. & verb. interdictum. nu. 28. Nauar. in Man. cap. 27. nu. 59. Lud. Lopez in 2. par. Inſtructorij, c. 21. & alij.

Sexta Cõcluſio. Ignorantia probabilis non Conſtitutionũ 18
contra Duellantes latarum, & Decreti Concil. Trid. ſed pœnarum in illis latarum, ſicut excuſat ab excommunicatione, etiam ſi actus ille eſſet per alias leges damnatus, vt dictum eſt ſupra in 4. concluſ. excuſat etiam à pœna interdicti in foro conſcientiæ.

Probatur primò per tex. in cap. vt animarum. de Conſtit. in 6. vbi ſimpliciter loquitur, & indefinitè de ignorantia, & de

sententijs non coarctando ad ignorantiam iuris, nec ad sententiam excommunicationis tantùm.

Secundò, Ad incurrendam hanc censuram requiritur, vt præcedat monitio sicut in excommunicatione. c. sacro. extra de sent. excom. iuncto c. 1. de sent. excom. in 6.

19 Tertiò, sicut ignorantia inuincibilis antecedens peccatum excusat à peccato; ita etiam ignorantia inuincibilis pœnæ, & antecedens actum peccati debet excusare à pœna; quia est causa peccati, pro quo imposita est pœna.

Quartò, accedit auctoritas Doctorum, qui fauent huic opinioni, vt Nauar. in Manu. cap. 23. num. 47. versic. addo his. Philiarcus de offic. sacerdotis tomo 1. parte 1. lib. 3. cap. 4. §. 3. Hostiens. in cap. à nobis il primo de sent. excommunicat. vers. adde, quod dicimus &c. Sylu. in verb. ignorantia, q. 8. in fine, vbi relata sententia dicentis, scientem se illicitam rem efficere, ignarum pœnæ legis positiuæ annexæ, vt excommunicationis vel irregularitatis, eum incurrere; subdit, limita, vt excommunicatio 2. not. 3. §. 6. & excommunicatio decimo. §. 3. & eadem q. 8. dicto 3. quibus in locis vniuersaliter docet, ignorantiam excusare à pœnis legis, quamuis actus sit illicitus contra ius naturale.

20 Septima conclusio, Quæ dicta sunt in 5. & 6. conclusione de Interdicto, procedunt etiam in suspensione, & irregularitate ex delicto consurgente, quando dictæ pœnæ essent impositæ contra duellantes: Probatur, iisdem rationibus, & auctoritatibus.

Dixi in irregularitate ex delicto consurgente; nam eā, quæ factum ipsum sequitur, & absque omni culpa ob solā significationem contrahitur, constat, quacunque data ignorantia siue iuris, siue facti contrahi; quia ideo ignorantia eximit à pœna, quia liberat à culpa, ex qua sequitur: Cùm ergo irregularitas hæc nullam exigat culpam, non excusabit ab illa, ita docet Caiet. in 1. 2. D. Thom. q. 76. art. 6. §. ad hõc dicitur. Syl. in verbo ignorantia q. 8. dicto 3. in fine.

21 Octaua Conclusio, sicut ignorantia inuincibilis, seu probabilis iuris, aut pœnæ ipsius excusat à censuris, & irregularitate ex delicto consurgente, vt dictum est in 3. 4. 5. 6. & 7. Concl.

ita

ita etiam ignorantia inuincibilis, seu probabilis, facti excusat ab illis: vt exempli gratia. Si quis sciret duellum esse prohibitum sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis, & haberet notitiam præsentis Constitutio. Clement. VIII. committeret tamen aliquam actionem damnatã ab illa, & ignoraret probabiliter illam actionem includi in dicta Cõstitutione, & prohibitione, esset excusatus in foro conscientiæ à supradictis censuris, & pœnis, dato quòd sciret actionem illam esse de iure diuino, vel naturali, vel alio iure positiuo damnatam.

Probatur hæc Conclusio eisdẽ ferè rationibus, quibus probatæ sunt supradictæ conclusioues: & probat illam Nauar. in Manuali cap. 27. num. 16. & Sayrus de cens. Ecclesiast. lib. 1. cap. 18. nu. 14. & clariùs Corduba in suo quæstionario lib. 2. q. 26. §. his præmissis &c. cuius verba sunt hæc: Is qui ex inuincibili ignorantia facti committit actum quacunque lege reprobatum, nullam excommunicationem, aut censuram, vel pœnam iuris humani propter delictum illud inflictũ incurrit in foro conscientiæ: etiamsi alias illicitæ rei operam det: excepta irregularitate propter delictum homicidij, aut mutilationis à iure inflicta: nam illam in vtroque foro incurrit baptizatus homo, quantunque inuincibilem ignorantiam facti habeat, si ex eo, quòd dãs operam rei illicitæ, vel rei licitæ, sed culpabiliter, est caussa propinqua homicidij, vel mutilationis.

Nona Conclusio. Ignorantia comitans tam iuris, quàm fa- 12
cti excusat in foro conscientiæ ignorantem, à culpa, & etiam à pœna excommunicationis, & interdicti contra duellãtes statuta; & excusaret etiam à pœna suspensionis, & irregularitatis ex delicto consurgente, casu quo pro tali delicto essent inflicta. Vt exempli gratia, si quis probabiliter ignoraret relationes aliquas, quas scripsit esse prouocatorias ad duellum; tamen ita erat paratus ad scribẽdum lucri gratia, quòd si sciuisset, actus scripsisset: Iste non excusatur à peccato interno illius mali affecti, sed bene propter ignorantiam comitantem quæ facit non voluntarium, excusatur à culpa illius actionis externæ quam facit scribendo, quia non processit ab illo modo affectu: Et ignorantia comitans illum excusat à culpa, & per consequens à pœnis, Ecclesia enim in hoc casu non punit ac-

rus iuuenes, sed sensum actiones externas.

Similiter si quis sciret prouocationem ad priuatum duellum esse prohibitam de iure diuino, & naturali; tamen ignoraret probabiliter pro illa esse inflictam excommunicationem, suspensionem, interdictum, vel irregularitatem per supradictas Constitutiones, nihilominùs erat ita malè affectus, vt si sciuisset adhuc prouocationem ad duellum fecisset: iste licet peccauerit contra legem diuinam, & naturalem, tamen quia propter illam actionem externam factam cum ignorantia comitante non fuit inobediens Ecclesiæ, propter quam inobedientiam fuerunt inflictæ illæ pœnæ, ille non esset in foro cõscientiæ excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, nec irregularis.

Probatur Conclusio quoad primam partem, nempe quòd excuset à culpa, ignorantia comitans opus factum cum illa: Et pro facilliori intelligentia duo præmitto.

23 Præmitto primò, quòd est differentia inter voluntariũ, nõ voluntarium, & inuoluntarium: nam voluntarium ita definitur ab Arist. in 3. Ethic. cap. 1. circa fi. *Is sponte videtur agere cuius principium est in ipso agente. scienter singula in quibus est ipse actus*; Requirit igitur Aristoteles, vt aliquis voluntariè, & sponte operetur, cognitionem singulorum, in quibus actio seu opus consistit: Singula autem dicit esse circunstantias operis. Non voluntarium est negatio voluntatis, quæ sequitur ex negatione scientiæ: & Voluntarium propriè tollitur per nõ voluntarium, sicut album tollitur per nigrum, & non albũ. Inuoluntarium verò est contradictorium voluntatis.

24 Præmitto secundo, quòd ignorantia Comitans licet aliquando non facit inuoluntarium, semper tamen facit non voluntarium: Et ratio est, quia nihil est volitum, quin priùs sit cognitum: Et propria ratio excusans à culpa, non est inuolũtarium, sed non voluntarium, vt docet Barthol. Medina in 1. 2. D. Thom. q. 6. art. 8. §. vnde sciant &c. Quòd si aliquando inuoluntarium excusat, quale reperitur in ignorantia antecedente, illud formaliter à peccato excusat, solum quia facit non voluntarium. Ita Vasq. in 1. 2. D. Thom. disput. 125. cap. 2. vers. Tertiò falsum est. in fin. versiculi.

His

His præmissis probo sic: Actio vt peccatum sit, necesse est, vt sit voluntaria: sed ignorantia comitans facit non voluntarium: Ergo actio facta cum ignorantia comitante dicitur facta absque voluntate, & per consequens absque peccato.

Secundò, Conditionales de rebus agendis nihil faciunt ad 26 meritum, vel demeritum: quod exemplo probatur: Coniugatus, qui accedit ad propriam vxorem sine aliqua mala voluntate, qui tamen accederet ad alienam si illam in lectulo reperisset: prædicta conditionalis non vitiat accessum ad suam vxorem: Consimiliter scit Deus, quòd si mihi daretur occasio delinquendi, certè delinquerem, non tamen ideo delinquo: Ergo in proposito nostro illa conditionalis (si sciuisset, adhuc scripsisset, vel prouocasset) non vitiat voluntatem, quâ volo scribere propter lucrum, vel amorem: Nec magis vitiat voluntatem, qua volo prouocare ad duellum nō obstante lege diuina, & naturali absque alia mala voluntate non obediendi præcepto Ecclesiæ.

Tertiò probatur auctoritate Doctorum, qui hanc defendunt opinionem, nempe Barthol. Medina in 1. 2. D. Thom. super q. 76. artic. 3. conclus. 2. & quæst. 6. artic. 8. Vasq. in 1. 2. D. Thom. tomo 1. disput. 125. per totum. Azorius tomo 1. insti. moral. lib. 1. cap. 14. q. 4. versic. quarto modo &c. Sanchez tomo 1. de matrim. lib. 2. disput. 34. num. 3. & latè tomo 3. lib. 9. disputat. 32. num. 26. Et in Præceptis Decalogi lib. 1. cap. 16. num. 13. & 14. Fernandus Rebellus eandem sequitur opinionem loquens de restitutione, parte 1. de obligat. iustitiæ lib. 3. cap. 11. nu. 9. & 10. & Leonardus Lessius de iustit. & iure lib. 2. cap. 7. dubit. 9.

Aduertendum est tamen, quod licet ista opinio sit meo iudicio probabilior; tamen sunt alii Doctores, qui docent, ignorantiam comitantem non excusare opus factum cum illa à peccato, atque (vt ipsi aiunt) nec minuere, nec augere peccatum: Hanc opinionem docet Durandus in 2. senten. dist. 22. nume. 5. Caiet. in 1. 2. D. Thom. super q. 76. art. 3. Corduba in suo quæstionario lib. 2. q. 19. & alij. Quam probant primò, & præcipuè auctoritate D. Thomæ in 1. 2. quæst. 76. art. 3. in corpore, vbi docet, quòd ignorantia, quæ non est

causa

causa actus (qualis est comitans) non excusat à peccato: & in art. 4. in corpore claré dicit, quòd ignorantia, quæ non est causa peccati, sed comitanter se habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget.

Sed respondetur D. Thom. non loqui de actu exteriori facto cum ignorantia, sed de interiori affectu, à quo non excusat ignorantia comitans, vt rectè explicat Petrus Soto, quem refert, & sequitur Vasq. in 1. 2. D. Thom. disputat. 125. cap. 3. per totum.

Secundò probant ratione: Nam ignorantia comitans per accidens comparatur cum opere, quod cum illa fit: Ergo non potest à culpa illam excusare: id enim, quòd excusat aliquem actum à malitia debet comparari cum illo per se.

Sed respondetur, quòd ignorantia comitans nullo modo comparatur cum substantia actus exterioris, vt sit caussa illius, neque per se, neque per accidens, quia solum illum comitatur; rectè tamen comparatur cum eo quatenus est non voluntarius, nam ratio voluntarij tollitur per se quauis ignorantia inuincibili, ablata verò ratione voluntarij tollitur omnis ratio peccati: Ita docet Vasq. in 1. 2. D. Tho. tomo 1. dispu. 125. c. 4. in fine. Probata igitur prima parte conclusionis clarè sequitur, alteram esse probatam, nempe operantem cum ignorantia comitante dum est excusatus à culpa, esse etiam excusatum à pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis ex delicto consurgente, etiamsi adsit prauus affectus, circa id quod ignoratur: Nam supradictæ pœnæ non incurruntur ob solum affectum; sed propter opus exterius, quod sit peccatum: Ita probat Vasqui. in 1. 2. D. Thom. disput. 125. cap. 3. in fine. & Sanchez de matrimonio tomo 3 lib. 9. dispu. 32. num. 26. qui docet habere locum non solùm in supradictis pœnis; sed etiam in alijs, & etiam in materia restitutionis.

27. Decima conclusio, Ignorantia comitans non iuris, neq; facti, sed pœnarum contra duellantes statutarum, siue sit pœnæ excommunicationis, siue aliarum censurarum, excusat contrauenientes à dictis pœnis, saltem in foro conscientiæ: Probatur primò, quia ista ignorantia facit non voluntarium respectu

ctu pœnę: Ergo licet delinquens non excusetur à peccato propter notitiam legis, excusatur tamen à peccato inobedientiæ propter ignorantiam pęnæ: Nam inobedientia præsupponit notitia, & per consequens excusari debet à pęnis, cùm propter inobedientiam imponantur.

Secundò probatur per tex. in cap. 2. de constit. in 6. in quo, vt animarum pericula caueantur, deciditur, ignorantes non ligari sententijs; quòd Decretum cum animabus faueat, & generaliter de ignorantia loquatur, videtur amplè interpretandum, vt de qualibet ignorantia probabili loquatur.

Vndecima Conclusio, Ignorantia affectata, siue iuris, siue facti, siue pœnarum contra duellantes inflictarum non excusat contrauenientes; quia est directè, & expressè voluntaria; & æquiparatur dolo: Et sicut non excusat à peccato mortali, ita neq; à pęnis pro illo inflictis, siue sit excõmunicationis, siue aliorum generum pœnarum: Ita docet Nauar. in Manua. cap. 23. nu. 45. Azorius tomo 1. insti. moral. lib. 1. cap. 15. q. 6. & communiter DD. quos refert, & sequitur Sayrus lib. 1. de cens. Eccles. cap. 18. nu. 10. & Vgolinus de cens. eccles. tabula 1. cap. 9. §. 8. num. 6. & Suarez in 3. par. D. Thom. tomo 5. disput. 4. secr. 10. nu. 1. 28

Duodecima Conclusio, Ignorantia crassa, & supina, siue iuris, siue facti, siue pęnarum contra duellãtes inflictarum nõ excusat contrauenientes: Et ratio est, quia paria sunt scire, & debere scire id quod communiter omnes sui ordinis sciunt. l. quod te mihi. ff. de reb. credit. Et sicut non excusat à culpa, sic neque à pęnis pro illa impositis excusare poterit. 29

Non negamus tamen, quod non inculpat sicut ignorantia affectata; quia illa est directè, & expressè voluntaria: crassa verò indirectè, & implicitè. Ita Corduba in suo quæstionario lib. 2. q. 21. Sanchez tomo 1. de matrim. lib. 5. dispu. 3. nu. 13. Azorius tomo 1. instit. moral. lib. 1. cap. 12. q. 1. versi. quartò dicitur, Sylu. in verb. ignorantia, num. 8. & Armilla in verb. ignorantia. num. 6. 30

Excusat tamen ignorantia crassa à pœna legis, quando lex punit, qui scienter fecerit. Probatur. 31

Primò, quia cùm scientia sit contradictoria ignorantiæ, nõ includitur in ea, licet sit crassa. Se-

Secundò, quando canon expreſsè, aut tacitè requirit dolū, non ſatis eſt craſſa ignorantia: At cum canon poſtulat ſcienter aliquid fieri, dolum manifeſtè petit: Igitur non ſatis eſt craſſa ignorantia.

Tertiò, quia tunc Eccleſia intendit punire delictū expreſsè & formaliter volitum, præmiſſa illius notitia; quod non cōtingit. vbi adeſt ignorantia etiam craſſa; quia tunc verè nō adeſt notitia illius. Hanc opinionem defendit Nauar. in Manuali c.27.nu.141.in noua æditione. Lopez in ſuo Inſtructorio p.2. cap.13.§.ſed iam ad ſecundum punctum. Couar. in 4. Decr. 2.par.r. cap.6.§.8.nu.21.& in cap. Alma mater.de ſent.excōmun.in 6.1.parte rel.§.10.nu.17.verſ. Eadem ſanè ratio. & alij, quos refert, & ſequitur etiam Sanchez de matrim. tomo 3.lib.9.diſput.32.num.36.

32 Si verò lex dicat: Qui præſumpſerit, vel auſu temerario aliquid fecerit, ſit excommunicatus, vel puniatur tali pęna; ignorantia craſſa excuſabit etiam in hoc caſu: Et ratio eſt, quia non verè dicitur præſumens, ignorantia culpabili, & craſſa efficiens. Deinde quia præſumere dolum importat, & temeritatem; dummodo non ſit ita craſſa, & ſupina, vt ingens ſit temeritas: Ita docet Card. in Clem.1.de priuileg. q.39. Caiet. in ſummula verb.excommunicatio.cap.81.Syl. in verb. excommunicatio.7.caſu 14.nu.34.& Sanchez de matrim. tomo 1.lib.3.diſp.48.nu.7.& tomo 3.lib.9.diſp.32. nu.36.cum duobus ſequentibus.

33 Tertiadecima Concluſio. Si quis actuali obliuione faceret aliquam actionem prohibitam, & punitam ab hac extrauagāte, quam habitualiter ſciebat eſſe prohibitam, in foro conſciētiæ eſſet excuſatus ab excommunicatione, & alijs cenſuris: Et ratio eſt, quia reminiſci omnium actualiter eſt ſupra hominis facultatem, & illa actualis obliuio æquiparatur ignorātię inuincibili quo ad excuſandum à culpa, ita docet Suarez in 3. p. D.Tho. Tom.5.de cenſuris Diſput.4.ſect.1.nu.8 Sanchez in Præceptis Decalogi lib.1.cap.16.nu. 8. diſtinguntur enim, & quod ignorantia habitum importet, inaduerſantia tamen actum, vt docent Doct. ſupra allegati Caiet. in 1.2. D.Thom. q.6.art.8, & ibi etiam Barthol. Medina, & alij, quos refert, &

ſequitur.

sequitur Corduba in suo quæstionario l. 1. q. 67. dubio 1. vers. ex supradictis: & communiter DD. quos refert & sequitur Vasq. in 1. 2. D. Th. disp. 107. cap. 3. Et licet aliqui oppositum sentiant, quos refert Vasq. vbi supra cap. 2. & Azorius tomo 1. Instit. moral. cap. 16. q. 3. tamen communis opinio est verior, à qua non est dissentiendum absque euidenti ratione, vel tex. vt docet Ioa. Andreas in ca. 1. de constit. & Panormita. in c. 1. n. 10. de sent. & re iudic.

Quartadecima Conclusio. Si quis haberet notitiam Constitutionum Summorum Pontificum, & Decreti Concil. Trid. contra duellantes statutarum, & earum pœnarum; ignoraret tamen reseruationem factam à Clem. VIII. (per Decretum Congregationis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Cardinalium super negocijs Episcoporum, & Regulariũ publicatum die 26. Nouembris 1602.) prouocantium & pugnantium in duello iuxta Decretum sacri Conc. Trid. & Constitutionis Gregorij XIII. Si prouocaret, & pugnaret in duello modo prędicto, propter talem ignorantiam non esset excusatus ab ista reseruatione, dato quòd ignorantia esset antecedens, & causa peccati. Et ratio est, quia illa reseruatio nõ est facta in pœnam, sed ob bonam Ecclesiæ gubernationem: Nam expedit ad bonum regimen, vt grauiora delicta superioribus reseruentur iuxta Concil. Trid. sess. 14. c. 7. sub Rubrica de casuum reseruatione c. 7. 34

Quintadecima Conclusio. Quamuis in foro externo duobus mensibus à legis promulgatione transactis præsumatur illius scientia; tamen admittitur probatio in contrarium, vt patet in cap. fi. qui matrim. accusare poss. & l. fi. ff. de decret. ab ordine faciend. & docet Panorm. in cap. 2. n. 9. de Constit. Felin. ibid. nu. 16. Syl. in verb. lex. q. 7. & gloss. in cap. 2. de Cõstitutio. in 6. notab. 2. 35

Qualiter autem probetur, dubium est inter DD. cùm sit nimis difficilis eius probatio. Et aliqui dicunt, quod probetur iuramento ipsius ignorantis, quia in cordis penetralibus latentia, minimè testibus probari possunt: Ita gloss. in cap. si verò, il secundo, de sentent. excommunicatio. verb. propria. Couarr. lib. 2. variarum resolution. cap. 10. nu. 1. versic. Tertia 36

tia admittenda est. Nauarr. in lib. 1. Consil. in priori editione consil. 1. de constitut. nu. 6. & 7.

Alij vero dicunt, coniecturis esse probandam; ita docet Bald. in l. 1. n. 10. ff. de legib. Panorm. verò in ca. 2. num. 9. de Constitut. docet, esse arbitrarium secundum quantitatem præiudicij, qualitatem personæ allegantis ignorantiam, qualitatem ignorantiæ, & qualitatem facti, in quo ignorantia prætenditur: Pro qua opinione facit tex. in c. fi. in fine, de iureiurando: Et hæc probabilior, & rationabilior mihi videtur.

QVAESTIO IX.

Quæritur, vtrum requiratur, vt duellum fiat armis, ad hoc vt duellantes incurrant pœnas huius Constitutionis? Et quæ arma intelligantur?

SVMMARIVM.

Armis duellum propriè fit. num. 1.

Armorum appellatione in hac Constitutione intelliguntur arma bellica. num. 2.



1 QVOAD primum respondetur affirmatiuè; nã essentiale duelli est, vt fiat cum armis, vt patet ex tex. præsentis Constitutionis versic. vel denique &c. Et secundum vulgarem vsum loquendi illud propriè dicitur duellum, quod cum armis fit quòd autem fit sine armis, dicitur pugna. Et Constitutiones Principum secundum vulgarem vsum loquendi debent intelligi. cap. 1. de torneamentis. & ibi Panormit.

Prçterea, ratio principalis prohibitionis duelli est quia in eo mors corporalis interuenire solet, & animarum perditio; vt patet ex prohemio præsentis Constitut. Clem. VIII. Sed hæc ratio cessat, quando duellum fit sine armis: Ergo pœnæ præsentis Constitutionis non habent locum, quando duellum fit sine armis; quia non est proprie duellum, cùm absit periculũ mortis, aut mutilationis, aut saltèm vulnerationis.

Ex

Ex hac doctrina sequitur, quod si aliqui pugnam committant pugnis, hae vel brachijs, non incidunt in pœnas huius Constitutionis contra duellantes inflictas; quia in eis cessat ratio legis, & per consequens cessare debent & pœnæ. cap. cum cessante. de appellat. Et licet quandoque interuenire possit effusio sanguinis, & etiam mors; tamen quia de raro occurrere potest, & solet, non debet haberi in consideratione: Nam lex adaptatur ad ea, quæ frequenter accidunt. l. nam ad ea. ff. de legib.

Quoad secundum Iurisconsultus in l. armorum. ff. de verbo. significat. inquit, *Armorum appellatio non vtique (idest tantùm) scuta, & gladios, et galeas significat; sed & fustes, et lapides.*

Sed vt clarius, & breuiter comprehendatur, quid armorũ nomine in præsenti Constitutione Clem. VIII. intelligatur, dico, quòd intteliguntur arma bellica, quę principaliter, vel ex intentione duellantium ad pugnam facta sunt. Dixi, ex intentione duellantium talia facta sunt: nam licet gladius ad incidendum panem armorum nomine non veniat secundum Panorm. in cap. clerici, il 1. de vita & honest. Cleric. quem sequitur Syl. in verb. excommunicatio 7. num. 59. nec etiam lapides, & baculi secundum communem vsum loquendi armorum nomine veniant; vt docet Iulius Clarus in sua practica criminali q. 82. statuto 6. versic. & scias &c. Tamen eo ipso, quod per duellantes eliguntur ad duellum committendum, ex intentione duellantium facta sunt arma bellica; vt in simili docet Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 139. & in cap. ita quorundam. de Iudæis. not. 11. num. 13. & per consequens duellum committentes cum illis incidunt in pœnas contra duellantes inflictas; quia illo duello facto cum illis armis possunt occurrere vulnera, & mortes. Et de duello facto cum baculis Lucas Floronus in suo tractatu de publicatione duelli c. 5. §. 9. docet, quod incidunt taliter duellantes in pœnas contra duellantes inflictas. 2

Si verò duellum fiat cum armis defensiuis tantùm, non autem cum offensiuis; Vt exempli gratia, si fiat duellum pugnis, vel brachijs, sed armati essent duellantes lorica, & galea, non erunt excommunicati: quia in simili duello non adesset periculum

culum mortis, nec vulneris, & per consequens cessante ratione legis, cessaret etiam ipsa pœna imposita per leg. iuxta text. in cap. cum cessante: de appellationibus.

QVAESTIO X.

An præsens Constitutio Clem. VIII. & omnia alia iura contra duellantes statuta afficiant omnes personas, ita vt contrafacientes illis puniantur pœnis in eis contentis?

SVMMARIVM.

1 *Personæ omnes cuiuscunque sexus, gradus, vel conditionis sint, afficiuntur pœnis huius Constitutionis, dum illam transgrediuntur. num. 1.*

Lex est vniuersalis, & sub ea omnes comprehenduntur. nu. 2.

Quoad salutem animarum omnes subduntur Vicario Christi, etiã Reges. num. 3.

Iura contra duellantes statuta habent vim in omni loco. nu. 4.



AFFIRMATIVE respondendum est supradictæ quæstioni, cuiuscunque sint sexus, status, vel conditionis: Et ratio est, quia lex est vniuersalis, & ideo sub ea omnes comprehenduntur, dum excepti non sunt. l. 1. & l. iura. ff. de legibus. ca. 1. de Constitu. Vasq. in 1. 2. D. Th. tomo 2. disp. 151. cap. 5.

2 Præterea clarè colligitur ex præsenti Cõstitutione Clemen. VIII. versic. quinimo &c. ibi, *excommunicamus, & execramus omnes, & quoscunque &c.* Qui enim omne dicit, nihil excludit, vt docet glos. in l. a procuratore. C. mandati.

3 Probatur etiam ex Bulla Pij IV. quæ incipit, Ea quæ &c. versi. illosq; &c. ibi, *seu vniuscuiuscunq; alterius dignitatis, nobilitatis, status, gradus, & ordinis tam Ecclesiasticæ, quàm mundanæ existant.* Et hæc eadẽ Bulla Clem. VIII. versi. quivè alijs, in fine: vbi habentur hæc verba; *Tam si superius enumeratis, quàm si alijs etiam maioribus Ecclesiasticis, vel mundanis, digni-*

tatibus, gradibus, & præeminentiis excellant.

Vnde sequitur, quod transgressores huius Constitutionis puniuntur pœnis in ea contentis, siue masculi sint, siue fœminæ, siue laici, siue ecclesiastici, siue Principes, siue Reges, siue Episcopi, siue Cardinales, siue Religiosi claustrales, siue militares: Et ratio est, quia eius transgressio vergit in damnum animarum; & quo ad salutem animæ omnes, etiã Reges, & Principes, qui in temporalibus superiorem non recognoscunt, Vicario Christi subduntur; vt late probat Illustrissimus ac Reuerendissimus Robertus Bellarminus in suis Controuersijs tomo 1. contro. 3. lib. 5. a cap. 6. vsque ad fi. 3
Et cum hac opinione concordat Floronus in Tracta. de Prohibit. duelli c. 3. §. 1. & alijs in locis.


4 Quam conclusionem eadem ratione Amplio habere vim in omni loco, etiam quoad temporale dominium directè Ecclesiæ non subiecto: Et licet Bullæ Iulij II. Leonis X. Clem. VII. & Iulii III. sint locales pro statu Ecclesiastico; tamen per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ, fuerunt confirmatæ & extensæ in omni loco, etiam extra statum ecclesiasticũ; vt patet in versic. ac omnes &c. ibi: *Et insuper cupiens illa, & tam detestabilem pugnantium, & aliorum loca ad pugnandum, ac aliàs in præmissis fauorem præstantium; & denique tanti sceleris fautorum nequitiam non solùm in terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ, vt præfertur subiectis, sed aliàs vbilibet penitus extirpari, & aboleri; ac singulorum Christi fidelium animarum periculis obuiare &c.* Decretum similiter Concilij Tridenti. & Bulla Gregorij XIII. sunt leges vniuersales: Et per præsentem Bullam Clem. VIII. Omnia iura supradicta fuerunt extensa vbique gentium, & terrarum, vt patet in versic. Ac insuper &c. his verbis. *Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere vbique gentium, & terrarum inter quascunque personas &c.* & ita etiam docet Lucas Floronus de prohibitione duelli cap. 3. §. 1. num. 6. vers. quintò locum habet: & vers. sexto &c.

QVAESTIO XI.

Vtrum Iudæi comprehendantur sub hac Constitutione Clementis VIII. & alijs de duello tractantibus, & Decreto Concilij Trident.

SVMMARIVM.

Iudæi pœna excommunicationis affici non possunt. nu. 1.
Iudicare ad nos non pertinet de ijs, quæ foris sunt. nu. 2.
Iudæi in statu Ecclesiastico subduntur Constitutionibus contra duellantes statutis. nu. 3.
Caussæ finales quando sunt duæ in aliqua lege, licet una cesset, non tamen cessat iuris dispositio. nu. 4.



SVPRADICTÆ quæstioni negatiuè respondendum videtur.

Primò, quia in eis cessat ratio legis; ergo & pœnæ ab ipsis legibus inflictæ cessare debent. cap. cum cessante. de appellat. Ratio enim prohibitionis duelli fuit, quia in eis fit perditio animarum: sed animæ Iudæorum sunt in manu Dæmonũ ratione infidelitatis. Ergo nulla fit perditio earum in duello.

Secundò, contrauenientes supradictis Constitutionibus, & Decreto sunt ipso facto excommunicati: sed hac pœna affici non possunt Iudæi cum baptismum non habeant, vt docet Nauar. in Manuali cap. 27. num. 13. Ergo non comprehenduntur sub dictis Constitutionibus, & Decreto.

Pro resolutione huius difficultatis distinguendũ est, vel sumus in statu Ecclesiastico: vel extra illũ; si extra illũ, non cõprehenduntur, sed puniri debere legibus Principum sub quorum dominio subduntur, vt patet ex c. Postulasti, & cap. In nonnullis extra de Iudæis. Et licet præsens constitutio locum habeat in omni loco etiam temporali ditioni ipsius Romanæ Ecclesiæ non subdito, & inter quascunque personas, vt dictum est supra. q. 6. num 1. § Primo procedunt &c. vsque ad §. Quinto locum habet &c. Tamen procedit quo ad christianos.

ſtianos qui ſunt de ouili Eccleſiæ per Baptiſmum, non auté quo ad iudæos, vel infideles qui Baptiſmo & vera fide carét, licet ſub dominio alicuius Principis chriſtiani inueniantur. Quamuis Romano Pontifici quatenus Vicarius Chriſti eſt in aliquibus caſibus ſubdantur, vt docet Eymaricus in ſuo Directorio inquiſitorũ parte 2. q.46. Si vero ſunt in ſtatu Eccleſiaſtico comprehenduntur.

Primò, quia ſubduntur Summo Pontifici, & eius legibus, quatenus temporalis Princeps eſt.

Secundò, quia Clemens VIII. in præſenti Conſtitutione verſi. quinimo &c. punit omnes, & quoſcunque tam pœnis ſpiritualibus, quàm temporalibus, tam ab ipſomet Clemẽte, quàm ab alijs inflictis, & qui omnes dicit, neminẽ excludit, vt docet gl. in l. A procuratore. C. mandati. 3

Tertiò, quia iure naturali prohibitum eſt duellum, vt probatum eſt ſupra q.2. Ergo licitè puniri poſſunt à Summo Põtifice, & à quolibet ſeculari Principe in ſuo ſtatu, quando Iudæi contra dictam legem naturalem, cui ſubduntur, aliquid faciunt. Et huius opinionis eſt etiam Lucas Floronus in ſuo Tract. de prohibit. duelli. c. 5. §. 4.

Nec in contrarium adducta obſtant. Nam

Ad primum Reſpondetur, quòd cauſa finalis harũ Conſtitutionum non ſolùm fuit, quia in eis fieri ſolebat, & ſolet perditio animarũ; ſed & corporũ, vt patet ex prohemio præſentis Conſtitutionis Clem. VIII. & Decreto Cõcil. Trid. ſeſs. 25. c. 19. de Reformat. & omnibus eſt manifeſtũ: Sed quãdo ſubſunt duæ cauſæ finales, licet vna ceſſet, nõ tamẽ ceſſat iuris diſpoſitio; vt docet Panorm. in cap. fi. nu. 8. in fi. de Immun. Eccleſiaſt. & in cap. cum nuntius, de teſtib. nu. 1. Ergo dato, ꝙ prima cauſſa ceſſet, cùm non ceſſet alia, lex remanet firma. 4

Præterea nec prima ceſſat, quia licet Iudæus ratione infidelitatis ſit in ſtatu damnationis; tamen dum eſt in præſenti vita conuerti poteſt, & ſaluari; & dum moritur in duello, perdit cum vita animam.

Nec etiam obſtat ſecundum argumentum de excommunicatione, quia licet hac pœna, vel alia affici non poſſint, tamẽ alijs, quibus capaces ſunt, puniri poſſunt.

QVAESTIO XII.

Pœnæ impositæ in casibus prohibitis in duello publico, & solemni an habeant locum in casibus prohibitis in duello priuato, & non solemni, & è contra?

SVMMARIVM.

Vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio. nu. 1.

Lex pœnalis extenditur ad casum alium non expressum, quando ratio expressa in dicta lege est par simpliciter in alio casu, vel maior. num. 2.

Pœnæ impositæ in duello publico & solemni, habent locum in duello priuato, & non solemni. nu. 3.

QVAESTIONI propositæ affirmatiuè est respondendum.

Primò, ex identitate rationis: Nã ratio propter quam duellum publicum, & solemne fuit prohibitum tam à Pio IV. & suis Prædecessoribus, quàm à Concilio Trid. fuit, quia ex illo sequebatur animarum, & corporum pernicies: sed eadem procedit in duello priuato, & non solemni, vt patet ex prohemio Bullæ Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. ibi, *Considerantesque non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur* &c. Igitur idem ius esse debet. cap.
1 dudum. il secundo de elect. cap. cum dilecta, de confirmat. vtil. l. illud. ff. ad leg. Aquil.

2 Et confirmatur, quia lex pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extenditur ad casum alium non expressum si ratio sit par simpliciter, seu eadem, vel maior, & legislator particulariter non disponit in contrarium declinando à ratione legis propter aliquam priuatam cõsiderationem, ita docet Syl. in verb. lex. §. 18. vers. & dico &c. & Villadiecus in tracta. de hæret. q. 13. nu. 17.

3 Secundò probatur ex Bulla supradictá Gregorij XIII. per quam duellũ priuatũ prohibetur, & in cuius prohemio habetur

tur

tur hæc verba; *Sed crescente hominum malitia facinorosi non desunt, qui quod publicè prohibitum est, priuatim exequi non dubitant, dum se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur. Nos ad hæc coercenda &c.* Et paulò inferius sequitur; *Auctoritate Apostolica statuimus &c. & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri perinde ac si publicè, & consueto abusu singulare certamen iniuissent.* Quid clarius?

Tertiò probatur ex præsenti Constitutione Clem. VIII. in qua simul prohibetur duellum publicum, & priuatum: Nã facta narratione in prohemio Constitutionis Pij IV. & Decreti Concilij Trid. in quibus iuribus prohibetur duellũ publicũ; & facta etiã narratione Constitutionis Gregorij XIII. in qua prohibetur duellum priuatum, ipse prædictas Constitutiones, ac Decretum cum omnibus, & singulis in eis contentis censuris, & pœnis, decretis &c. auctoritate Apostolica approbat, cõfirmat, & innouat, & decernit locum habere vbique gentiũ; & terrarum &c. & infra in vers. quinimo dicit, *Quinimo de nouo etiam per præsentes ex parte Omnipotentis Dei excõmunicamus &c. omnes & quoscũque publicè, vel priuatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, & alijs prædictis Constitutionibus, ac Decreto cõprehensis &c.* Ex quibus iuribus clarè liquet, pariformiter esse prohibitum, & punitum duellum publicum, & solemne, & priuatum, & non solemne: Et ita docet Lucas Floronus in suo tract. de prohibit. duelli c. 1. nu. 22. & §. 4. eiusdem cap.

QVAESTIO XIII.

Si eadem persona plura duella committat, vel plures actiones faciat contra præsentem Constitutionem, incurrat ne plures excommunicationes?

SVMMARIVM.

Duella plura cõmittens plures incurrit excommunicationes. nu. 1.
Percutiens Clericum pluries eodem impetu vnicam tantum incurrit excommunicationem. nu. 2.

Actiones plures tendentes ad eundem effectum pro vnico actu habentur. nu. 3.



DVOBVS modis potest semel excommunicatus incurrere in aliam excommunicationem.

Primò, si excommunicatus post absolutioné ab excommunicatione iterum incurrat in idem vel aliud delictum, pro quo imposita est excommunicatio: & in hoc sensu quæstio dubitationem non habet, vt patet in cap. eos. de senten. excommunic. in 6. vbi absolutus ab excommunicatione reseruata in articulo mortis, si sanatus, & liberatus ab illo periculo superiori non se præsentat in excommunicationem reincidit.

Secundo modo potest semel excommunicatus incidere in aliam excommunicationem, vt qui semel est excommunicatus, antequam ab illa excommunicatione absoluatur, iterum committat idem, vel aliud delictum, cui similiter sit annexa excommunicatio, & in hoc casu accipitur præsens quæstio. Pro cuius decisione respondetur, quòd

1 Si actiones sunt distinctæ, quod peccata committit, tot excõmunicationes incurrit, si vnicuique peccato est annexa excommunicatio: quia dum multiplicatur delictum, multiplicari debet & pœna.

Et ratio est, nam pœna est cum delicto commensuranda. l. Pedius. ff. de incendio, ruina, & naufrag. l. respiciendum. ff. de pœnis. l. sancimus. C. de pœnis. cap. afferamus. 24. quæst. 1. Probatur Conclusio

Primò per text. in Clem. 2. in fine de sent. excom. vbi dicitur, Excommunicatos publicè, & interdictos, qui in Ecclesijs nominatim à celebrantibus vt exeant moniti remanere præsumpserint, excommunicationis sententia innodantur, à qua per sedem dũtaxat Apostolicam possunt absolui, sacro approbante Cõcilio mandamus. Ecce quomodo semel excommunicatus pro vno peccato, iterum excommunicatur cum reseruatione pro alio peccato, ante absolutionem à prima.

Secundò, ita est vsus Ecclesiæ vniuersalis, de quo vsu restatur Vgolinus de censur. ecclesiast. in genere tabula 1. cap. 16. §. 3.

§.3. Sayrus de censf. eccles. lib. 1. cap. 10. num. 1. in fin. & alii, quos referunt dicti Doctores.

Tertiò, hæc opinio est communiter recepta à Doctoribus, vt docet Socinus in cap. pro caussa. num. 18. cum sequentibus & præcipuè num. 24. de sent. excom. Vgolin. & Sayrus in locis præallegatis.

Et vt clariùs cognoscatur, in quibus casibus excommunicatus iterum incurrat in alias excommunicationes; sciẽdum est, quòd si fertur excommunicatio pro aliquo actu, pro varietate actuum aliquandò varias excommunicationes idem incurrere potest; vt exempli gratia: Qui sæpius percutit Clericum diuersò impetu, & tempore, tot excommunicationes incurrit, quot percussiones dedit: Et similiter si fertur excõmunicatio contra asportantes frumentum extra territorium Ecclesiæ, qui pluries frumenti modios in diuersis temporibus asportauit, pluries incidit in excõicationem: secùs verò si eodem tempore plures frumenti modios asportat: & eodem impetu pluries Clericum percutit, quia in hoc casu in vnicam tãtùm excommunicationem incidit: quia quæ in eodem instãti fiunt, pro vnico actu habentur: Ita docet Vgolinus de censur. ecclesiast. tabula 1. cap. 16. §. 3. nume. 8. & Sayr. lib. 1. de censur. ecclesiast. cap. 10. num. 9. Sic etiam ad nostrum propositum, si aliquis in diuersis temporibus cum eadem, vel diuersis personis pugnet in duello, tot excommunicationes incurrit, quot pugnas commisit: Secus verò si in eodem facto, & eadem actione quis consulat duellum, scribat libellum prouocatorium, præbeat arma, commeatum, & sit patrinus in duello; quia vnicam tantùm incurrit excommunicationem: Et ratio est, quia omnes illæ actiones cùm tendant ad idem factum, & vnica actione morali sint factæ, pro vnico actu habentur.

Prouocantes ad duellum & acceptantes, si postea illud committant, An incidant in vnam, aut plures excommunicationes?

SVMMARIVM.

Prouocantes ad duellum, & acceptantes si postea illud committant in vnam tantum incurrant excommunicationem. nu. 1.
Vnum quando est propter aliud, ibi est tantum vnum. nu. 2.
Peccata distinguuntur in genere moris. nu. 3.

PRIMA facie videtur dicendum in duas incidere excommunicationes, quia sunt actiones realiter distinctæ, & in vnaquaque posita est excommunicatio: Nam prouocantes incurrunt in excommunicationem, dato quòd prouocatio non sit acceptata, vt probatum est supra quæst. 4. versiculo Septimò prohibentur, &c. Et acceptantes similiter incurrunt excommunicationem, dato quòd executioni mandata non sit; vt probabitur infra quæstio. 21. Pugnantes etiam in duello sunt excommunicati: Ergo incidunt in duas excommunicationes.

1 Oppositum tamen verius mihi videtur, nempe vnam tantùm incurrere excommunicationem.

2 Probatur primò, quia quando vnum est propter aliud, ibi est tantum vnum, vt docet Aristoteles in 2. Topic. cap. 2. sed prouocatio ad duellum, & acceptatio est propter pugnam: Igitur est vna actio, & per consequens incidunt in vnam tantùm excommunicationem.

Secundò, licet prouocatio, acceptatio, & pugna sint plures actiones realiter distinctæ in genere naturæ, tamen in genere moris est vna tantum: Sed peccata distinguntur in genere moris, vt docet D. Thom. in 1. 2. quæst. 72. art. 1. & ibi Caiet. & Barthol. Medina, & Vasq. & Azorius in tomo 1. Insti. moral. lib. 4. c. 2. q. 4. & Sayrus in lib. 2. Clauis Regiæ cap. 5. in fine, & excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum,

tum: Igitur cùm prouocatio, & acceptatio, & pugna sint vnium peccatum, sequitur etiam quòd vna tantùm incurratur excommunicatio.

Contrariũ verò nõ obstat; nam ad illud respondetur declarando antecedens, vbi dicit, quòd sunt duæ actiones realiter distinctæ, prouocatio, & pugna: Nam verum est, quòd sunt duę actiones realiter distinctæ, sed in genere naturę, non autẽ in genere moris; Et in casu nostro debent esse distinctæ in genere moris ad hoc, vt incurrantur duæ excommunicationes.

QVAESTIO XV.

Duellum committentes nullo prius statuto tempore, vel loco ad pugnam, quæritur, an incidant in pœnam excommunicationis, & in alias pœnas contra duellantes inflictas.

SVMMARIVM.

Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi nu. 1.
Lex siue procedat, siue sequatur debet limitari per aliam legem, illam specialiter limitantem nu. 2.
Eadem est virtus taciti, & expressi. num. 3.
Qui aliquid absolutè vouit nullum determinando tempus statim tenetur adimplere. nu. 4.
Essentialia duelli quę sunt. num. 5.
Vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio. nu. 6.
Ratio comprehendit omnes casus etiam non expressos in lege. nu. 7.
Duellum cruentum committentes incidunt in pœnas contra duellantes inflictas, etiam nulla expressione facta temporis, & loci, ad pugnandum nu. 8.
Prouocantes ad duellum etiam sine expressione temporis, & loci, incidunt in pœnas contra duellantes inflictas. nu. 9.

Pro declaratione tituli quæstionis attenda, sunt tria. Primò, q hic est sermo de duello cruẽto, id est, q pot esse cruẽtũ: quia alias non esset propriè duellum, vt probatũ est in secundo præmisso, vbi tractatur de definitione duelli, & in q. 9.

Secundò

Secundò, hic est sermo de duello cruento, sponte suscepto ex vtraque parte: nam si non sponte, sed coactè esset cōmissū ex vna parte, ex eo quod alter omnimodè volebat pugnare, vel offendere, in hoc casu esset defensio ex parte prouocati, & aggressio ex parte prouocantis, vt probauimus in q.23.

Tertiò, est sermo de duello cruento sponte ex vtraque parte suscepto, & ex cōdicto, siue data opera (quod idem est) cōmissō: quia si non esset data opera commissum, sed accidentaliter, esset potius rixa, quàm duellum, vt videbimus q.18.

His prænotatis, duæ possunt esse opiniones in hac quæstione, vna negatiua, altera verò affirmatiua.

Opinio negatiua probari potest

Primò, ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. vers. auctoritate Apostolica &c. vbi statuitur, omnes illos ligari censuris, & pœnis in Decreto Concil. Trid. propositis, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam cōmiserint: sed qui non ex condicto in duello pugnant, non incidunt in dictas censuras, & pœnas, vt probabimus in q.18. Ergo & similiter qui duellum committunt nullo statuto tempore, vel loco.

Secundò, idem Gregorius XIII. in eodem loco statuit, vt incidant in dictas censuras, & pœnas monomachiam cōmittentes ex condicto statuto tempore, & in loco cōuento, etiā si nulli patrini, socijve ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita sit: Ergo cum de loco, & tempore mentionem faciat, & de patrinis, & socijs, & vult, vt incidant in dictas pœnas, & censuras monomachiam committentes, etiam patrinis, & socijs non vocatis, nec securitate habita; sequitur, quòd si volūtas eius fuisset, vt inciderent, etiam si neque tempus, neque locus statutus esset, hoc expresisset, sicut expressit de securitate loci, patrinis, & socijs; sed non expressit; Ergo requiruntur.

Verùm quia contra hanc opinionē videtur obstare præsens Bulla Clem. VIII. in vers. quinimo de nouo &c. Vbi excommunicantur duellantes omnes publicè, vel priuatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis singulare certamen ex composito ineuntes, nulla factā mentione de statuto tempore, & loco: Et cùm generaliter, & simplici-

ter loquatur, ita etiam generaliter, & simpliciter videtur debere intelligi, iuxta tex. in cap. solite. §. fi. de maiorit. & obediēt. & l. 1. §. in infinitum. ff. de leg. præst. nempe, vt duellantes sint excommunicati, & pœnas contra duellantes inflictas incurrant, si ex condicto duellum committant, etiam nullo statuto tempore, vel loco ad pugnandum.

Respondetur, quod lex siue præcedat, siue sequatur, debet limitari per aliam legem illam specialiter limitantem, iuxta tex. in l. posteriores. ff. de legib. l. in toto. & ibi Decius. ff. de reg. iur. c. generi per speciem, de reg. iur. in 6. Nauar. cōs. 33. de Regularibus. nu. 3. gl. in l. sciendum. ff. qui satisd. cogan. & auth. offeratur. C. de lit. contest. Sed Bulla Clem. VIII. quæ generaliter loquitur, limitatur per Bullam Gregorij XIII. ergo secundū illam debet intelligi: Probatur minor, quia Clemen. VIII. in dicto loco licet excommunicet duellantes generaliter in quibuscunq; locis, modis, & formis, ac casibus, nulla facta mentione loci, & temporis: Tamen immediatè sequitur sub præsenti nostra, vel alijs prædictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis: Vnde videtur velle punire, & excommunicare duellantes modis, & formis in Constitutionibus Pij IV. & Gregorij XIII. & Decr. Concil. Trid. statutis, de quibus fecerat in principio mentionem, & in quibus punitur duellum, (siue pugnantes in duello tum publico, & solemni, quàm priuato) quod fieri solebat statuto priùs tempore, & loco: Ergo præsens Constitutio Clem. VIII. in hoc casu debet intelligi & limitari secundum Constitutionem Gregorij XIII. ad quam se refert, & per quam prohibetur hic casus, de quo quæritur, secundum doctrinam glosæ, quam putat singularem Card. in Clem. statutum. in verb. consuetudo. de elec. ibi, oppositionē. quam sequitur Felin. in cap. 1. de iureiur. nu. 1. & Nauar. in miscellanea 70. nu. 4. in tracta. de oratione, & horis canon. cap. 22. Et hanc partem negatiuam tenet Lucas Floronus in tract. de prohib. duelli c. 5. §. 1. vers. tertium est.

Opinio verò affirmatiua, quæ probabilior mihi videtur probatur.

Primò, si Titius, verbi gratia, prouocaret ad duellum Caiū in eodem loco, & tempore, clarum est, quod si Caius spontè

acceptaret prouocationem à Titio factam, & pugnaret cum illo, ambo inciderent in pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas.
3 Sed eadem est virtus taciti, & expressi l. cum quid. ff. si certū pet. & ibi DD. Et Titius prouocando Caium nullo statuto tēpore, & loco, & Caius voluntariè acceptando prouocationē;
2 & pugnando ex communi, & libero consensu in eodē loco, tacitè videntur elegisse illud tempus, & locum: Ergo incidunt in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, quamuis de loco, & tempore nulla sit facta mentio.
4 Et confirmatur, quia quādo aliquis aliquid absolute vouit nullum determinando tempus pro solutione voti, statim quādo id commodè potest, tenetur adimplere, vt docent Sylu. in verb. votum. 2. q. 5. Angelus in verb. votum. 1. §. 22. Petrus de Aragon in 2. 2. D. Tho. q. 88. art. 3. in fin. Greg. de Valentia in tomo 3. disp. 6. puncto 4. & alij, quos refert, & sequitur Sayrus in lib. 6. Clauis Regiæ cap. 8. num. 8. Ergo Titius prouocando Caium ad duellum, nullum determinando locum, & tempus videtur statim in eodem loco prouocasse, & sic tacitè expressisse locum, & tempus. Et similiter Caius sponte acceptando, & pugnando in eodem loco, videtur tacitè determinasse, & elegisse præsentem locum, & tempus.
Secundò, duellum cruentum spontè, & ex condicto factū, nullo statuto tempore, & loco, est verū, & proprium duellū, vt patet ex definitione duelli tradita in secundo præmisso hu-
5 ius tractatus: Et ratio est, quia habet essentialia duelli, tempe vt sit pugna priuata, cruenta, sponte ex vtraque parte suscepta, & data opera facta, vt probatum est in quarto præmisso præsentis tractatus: Et hoc duellum ita factum non est minus cruentum, & animæ & corpori obnoxium, quàm duellum publicum, siue solemne, vel priuatum factum statuto loco, & tempore: Ergo cū ratio in Bulla Gregorij expressa in versi. nos ad hæc. &c. quæ mouit Súmum Pontificem ad prohibendū, & puniendum duellum priuatū factū ex condicto, statuto loco, & tēpore, nō minus procedat in præsenti duello, de quo quæritur, quàm in illo; sequitur clarè, quòd eadē debet esse iuris di-
6 spositio: cap. dudū il 2. de elect. cap. cùm dilecta. de cōfirmat. vtil.

vtil. vel inutil. l. illud. ff. ad leg. Aquil. Nam ratio comprehendit omnes casus, etiam non expressos in lege, & Constitutione. l. his solis. C. de reuocand. donat. Cardin. Parisius in consil. 83. nume. 21. volum. 3. Decius consil. 284. colum. 2. Et maximè fauore animæ, & ad tollendum peccatum; in quo etiam in pœnalibus. & odiosis extensio, vt docet Romana Rota in decisionibus diuersorum volum. 2. decis. 29. nu. 10. Panorm. in cap. ex tenore, nu. 6. qui fil. sint legit. & Syl. in verb. lex. q. 19. & alij. 7

Tertiò, Clement. VIII. in præsenti bulla prohibet, damnat & punit non solum duellum publicum, & solemne per prius damnatum, & punitum, per Decretum Concilij Trident. & duellum priuatum damnatum, & punitum per Gregorium XIII. sed etiam prouocationem tantùm ex condicto factam ad duellum siue publicũ, & solemne, siue priuatũ palã, vel occultè, etiam non secuta pugna, nec accessu, nec actu ad pugnam proximo, nulla facta mentione statuti temporis, & loci, vt patet ex §. vel denique offertur se quispiam &c. iuncto §. quiuè alijs &c. ibi, *Etiam si neque pugna &c*, & versic. quinimò de nouo &c. ibi, *aut prouocatus &c.* Ergo sicut ampliauit Decretum Concil. Trident. & Bullam Gregorij XIII. prohibendo, & puniendo non solùm duellum consummatum, & accessum ad locum destinatum duelli, si per ipsos non steterit, quominus pugnarent, sed etiam prouocationem tantùm ad duellum, etiam non secuta pugna, nec actu ad pugnam proximo: Sic etiam ampliauit Bullam Gregorij, quoad expressam determinationem temporis, & loci: Nam prohibendo, & puniendo prouocationem ad duellum, etiam non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximò, vt probatum est; determinatio expressa temporis, & loci non erant necessaria: Nam si necessaria esset, hoc eueniret propter accessum ad locum pugnæ: sed accessus non est necessarius ad incurrendas pœnas in hac Constitutione contra duellantes inflictas; nam pro sola prouocatione ad duellum puniuntur etiam non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo: Ergo determinatio expressa loci, & temporis ad pugnandum, non est necessaria ad

hoc,

hoc, vt prouocantes ad duellum incurrant pœnas contra duellantes, & prouocantes ad duellum inflictas.

Adducta verò pro opinione negatiua non obstant, nam,

Ad primum respondetur negando similitudinem, quæ est inter minorem propositionem, & conclusionem: Et ratio negationis est, quia vt duellum fiat ex condicto, est de essentia duelli: nam aliàs vel esset rixa, vel proditio, vt probatum est in quarto præmisso præsentis tractatus, versi. tertium &c. sed vt exprimatur locus, & tempus non est de essentia, sed accidentale duelli, quando prouocatio fit in futurum. Nam sine hac expressione duellum propriè sumptum consistere potest, vt probatum est in secunda ratione: Ergo non est mirũ si quando duellantes non ex condicto pugnant, non incidant in pœnas contra duellantes inflictas, & quando pugnant ex condicto, nulla facta expressione temporis, & loci, incidant; quia in primo casu non est propriè duellum, cùm deficiat essentiale, nempe vt fiat ex condicto, & data opera; & in secũdo casu est propriè duellum, cùm habet essentialia duelli; vt probatum est in secunda ratione.

Ad secundum negatur consequentia, & ratio negationis est, quia Summus Pontifex nominando statutum tempus, & locum, voluit tantùm designare, quod cõmuniter fieri solebat à duellantibus in duellis priuatis, non autem determinare quod non incurrant censuras, & pœnas nisi statutum sit tẽpus, & locus expresſè.

Ad responsionem obiectionis negatur minor: Et ratio negationis est, quia per Bullam Gregorij XIII. non solùm non limitatur in hoc casu præsens Bulla Clemen. VIII. sed potiùs per Bullam Clem. VIII. ampliatur Bulla Gregorij XIII. vt clarè probatum est in tertia ratione: Et ád probationem negatur consequentia.

Sed pro maiori declaratione dico, quòd Clement. VIII. prohibendo duellum in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti, vel alijs prædictis Constitutionibus ac Decreto comprehensis &c. aliud non voluit demonstrare, nisi quod intentio sua erat non solùm prohibere duellum modis, & formis, ac casibus comprehensis sub hac

Con-

Constitutione, sed etiam comprehensis sub Constitutionibus Pij IV. & Gregorij XIII. & Decreto Concilij Trident. Et hoc dixit, ne putarent aliqui voluisse tantùm prohibere casus sub hac Constitutione comprehensos, & abrogare alios: Et licet in Decreto Concilio Trident. & in dictis Constitutionibus prohibeatur duellum publicum, & solemne, & priuatum, quod fieri solebat cum expressione determinati temporis, & loci; nõ per hoc sequitur, quòd si fiat sine expressione temporis, & loci non sint excommunicati, nec debeant puniri pœnis in præsenti Constitutione statutis. Cùm vt probatum est in tertia ratione, per hanc Constitutionem expressè prohibeatur, & puniatur prouocatio ad duellum sine expressione loci, & temporis facta, etiam non secuta pugna, nec accessu, vel actu ad pugnam proximo: Ergo multò magis quando secuta est pugna.

Et sublata etiam hac Bulla Clem. VIII. stando solum in Bulla Gregorij XIII. adhuc est prohibitum, & punitum duellum ex condicto factum sine expressione temporis & loci; vt probatum est in prima, & secunda ratione pro opinione affirmatiua adducta.

Vnde reiectis contrarijs, remanet firma conclusio, quòd duellum cruentum sponte, & ex condicto committentes, incidunt in pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas, etiam nulla prius expressione facta tẽporis, & loci ad pugnandum. 8

Quam Conclusionem amplio etiam contra prouocantes, & acceptantes prouocationes ad duellum sine expressione tẽporis, & loci ad pugnandum, & dato quòd pugna non sequatur, nec accessus ad aliquem locum animo pugnãdi, vt probabimus infra in quæst. 20. 9

QVÆ-

QVAESTIO XVI.

Duellantes in castris ob publicam caussam, Ducum permissu, ad bellum terminandum, & multitudini parcendum, vtrum incurrant pœnas contra duellantes inflictas?


SVMMARIVM.

Lex, quæ generaliter loquitur, generaliter debet intelligi. num. 1.

Princeps habens iustum bellum, & cognoscens vires suas inferiores, & quod oportet, aut succumbere, aut acceptare duellum, potest licitè non solùm acceptare, sed etiam prouocare ad duellum. num. 2.

Duellantes Ducum permissu ad parcendum multitudini, & ob publicam caussam non incurrunt pœnas contra duellantes inflictas. num. 3.

Argumentum à contrario sensu semper est validum in iure, quando verbum ponitur causatiuè, nisi reperiatur in iure expressum contrarium. num. 4.



QVÆSTIONI præpositæ videtur prima facie respondendum, quod sic.

Primò, per Constitutionem Pij IV. quæ incipit, Ea quæ: & Decretum Concil. Trid. quibus generaliter duella prohibentur, absque vlla distinctione, & exceptione; quæ verba per hanc Constitutionem Clement. VIII. declaratur habere locum vbique gentium, & terrarum.

Præterea in hac Extrauagante à Clement. VIII. vers. quinimo de nouo &c. Summus Pontifex excommunicat duellantes in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel alijs prædictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, &c. Sed lex quæ generaliter loquitur, generaliter debet intelligi. l. 1. §. in infinitum. ff. de legat. præstand. c. solita. §. fin. de maiorit. & obedien. Igitur ab ipsis pœnis non excluduntur.

Pro

1 Pro decisione huius difficultatis sunt distinguendi duo casus, quorum primus est, quando Princeps habens iustum bellum cognoscit vires suas inferiores, & quòd oportet aut succumbere, aut acceptare duellum: In hoc enim casu potest nō solum licitè acceptare; sed etiam prouocare ad duellum, & transferre quasi certum casum in dubium, & in spem victoriæ: & hoc pacto non solùm non incurrit pœnas huius Constitutionis, sed nec etiam peccat: quia non est propriè duellū, sed defensio contra inuadentem, vt docet Caietan. in 2. 2. D. Thom. q. 95. art. 8. in respon. ad 3. vers. quinta causa. in fi. & Greg. de Valentia tomo 3. disput. 3. q. 17. puncto 1. vers. secundo si aliquis dux belli. Nauar. in Manuali cap. 11. nu. 39. vers. trigesimo quarto &c. Gregor. Sayrus in lib. 7. Clauis Regiæ cap. 13. num. 16. & Sanchez in Præceptis Decalogi. lib. 2. cap. 39. num. 16. 2

Alter casus est, quando extra prædictum casum committitur duellum ob publicam caussam Ducum permissu, & ad parcendum multitudini: Et hic propriè est punctus quæstionis, in quo dico non incurrere has pœnas: quia Summus Pontifex in hac Constitutione non punit nisi actiones damnatas per alias leges, vt probatum est supra q. 3. hanc autem actionem, nempe duellare ob publicam causam quando adest iustum bellum, & ad parcendum multitudini, adhuc non apparet clarè esse damnatam, nec ab Ecclesia est determinatū. Et aliqui Doctores fauent huic opinioni, vt refert Turrecremata in cap. monomachia. 2. q. 4. conclus. 6. & Nicolaus de Lyra in 1. Reg. c. 17. (quamuis mihi non placeat per supradicta in q. 2. num. 16. nec Caietano loco superiùs allegato) Immo Martinus Pontifex concessit duellum inter Regem Carolum, & Regem Petrum de Aragonia ad definiendas lites Regni Siciliæ, vt patet in tractatu de prohibitione duelli Lucæ Floroni cap. 3. §. 3. num. 7. vers. exciperem &c. Ergo non incurrunt has pœnas. 3

Præterea quicquid sit de peccato, non sine caussa Clemen. VIII. in hac sua Constitutione versic. idem quoque iuris censendum esse &c. punit tantùm illos, qui priuatas inimicitias publicis caussis intermiscendo, duellum committunt. Signū

enim est, quòd non intendit punire eos, qui ob publicam caussam tantùm, vt supra dictum est, duellum committunt, nam si voluisset ob istam causam punire, ad quid oportebat ponere illa verba, Priuatas simultates, atque inimicitias publicis caussis intermiscendo duellum committunt?

4 Vnde cum argumentum à contrario sensu semper sit validum in iure, quando verbum ponitur causatiuè, nisi reperiatur in iure expressum contrarium, vt communiter docet Doctores, quos refert, & sequitur Panorm. in cap. publicato. de elect. in 6. & in c. ad hoc. de iudi. & in casu nostro illa verba, Priuatas simultates, atque inimicitias publicæ caussæ intermiscendo, ponantur causatiuè, & in iure cōtrarium non sit expressum; sequitur, quòd quando quis duellat ob publicam caussam tantùm, non incurrat pœnas in hac Constitutione Clement. VIII. positas.

Et similiter dicendum est de Regibus, Principibus, & Ducibus exercituum, qui permittunt supradictum duellum.

In contrarium verò adducta non obstant, quia Cōstitutiones Pij IV. & Gregorij XIII. & Decretum Concilij Trid. in castris receptæ non fuerunt quoad pœnas: Et hac causa per Pontificem Clem. VIII. fuerunt de nouo extensæ, & declaratæ locum habere etiam in castris, & propugnaculis inter personas armatas &c.

Nec etiam obstat præsens Constitutio: Nam verba superiùs relata demonstrant totum oppositum per argumentum à contrario sensu: Et in versic. quinimo, excommunicat duellantes in quibuscunque locis, modis, & formis, & casibus sub præsenti nostra, & alijs prædictis Constitutionibus comprehensis &c.

Notandum est hoc verbum (comprehensis) nam cum casus noster non comprehendatur per rationes supradictas, sequitur, quòd non sint excommunicati, nec puniti pœnis in hac Constitutione positis.

Cæteri verò, qui ad ostentationem virium, vel ad manifestandam veritatem, vel ad euitationem ignominiæ, vel quacunque ex caussa duellant, siue in castris inter personas armatas, siue extra, incurrunt excommunicationem, & alias pœnas;

nas; quia in illa generalitate verborum includuntur, nec vllo pacto excluduntur.

QVAESTIO XVII.

Vtrum introduci possit consuetudo contra actiones prohibitas per præsentem Constitutionem?

SVMMARIVM.

Consuetudo inducens duella non valet. num. 1.
Consuetudo contra legem diuinam, vel naturalem introduci non potest. num. 2.
Lex debet esse æqua. num. 3.
Consuetudo nutritiua peccati est potius corruptela, quàm consuetudo. num. 4.

BREVITER respondeo ad propositam dubitationem dicens, quòd consuetudo inducens duella non valet: Ita docet Alciat. in suo consilio de duello num. 3. quod est in lib. 5. Responsorũ, 1
& registratum est in tomo 6. Tractatuũ de duello in fine, & Iacobus Castillo in tracta. de duello in eodem tomo 6. tractatuum cap. 1. num. 40. & 41. & Syluan. in verb. duellum. num. 5. in fin. & communiter DD. quos refert, & sequitur Lucas Floronus in suo tracta. de prohibit. duelli cap. 3. §. 1. nu. 9. & 10.

Præterea omnes actiones damnatæ, & prohibitæ per præsentem Constitutionem sunt damnatæ, & prohibitæ à lege diuina, vel naturali, vt probatum est supra in q. 3. & 4. Et contra legem diuinam, vel naturalem consuetudo introduci non po- 2
test, vt docet D. Thom. in 1. 2. q. 97. artic. 3. in respon. ad primum. & Sylu. in verb. consuetudo. q. 9. Nam consuetudo est lex non scripta. l. de quibus. § diuturna. ff. de legibus, & lex debet esse æqua, & iusta. cap. erit autem lex. dist. 4. Sed con- 3
suetudo hæc contra actus lege diuina, vel naturali damnatos esset iniquissima, & nutritiua peccati. cap. quæ contra. & cap.

veritate 8. distinctio. capit. fin. extra de consuetudine: Ergo nullo pacto induci posset; quia esset potiùs corruptela, quàm consuetudo. cap. mala. 8. distin. Nauar. de Reddit. ecclesiast. quæst. 31.

QVAESTIO XVIII.

Prouocantes ad duellum, & acceptantes in rixa, & calore iracundiæ, Quæritur, an incidant in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes statutas, secuto, vel non secuto duello?

SVMMARIVM.

Excommunicationis sententia est latissimè interpretanda, quia venit ad correctionem animæ. num. 1.

Ex tenore verborum liquide comprehenditur intentio statuentiũ. num. 2.

Dictio, ex composito, significat animum deliberatum, ex interuallo temporis præcedente. num. 3.

Constitutio, quæ fit ad roborandam, & interpretandam aliam, intelligenda est secundum eam. nu. 4.

Constitutio puniens capitaliter homicidium, aut aliud delictum intelligitur, si dolo est commissum. nu. 5.

Constitutiones Principum debent intelligi secundum vulgarem modum loquendi. nu. 6.

Odia restringi debent. num. 7.

Punire affectum, non secuto effectu, est contra naturam legum, numero 8.

Ampliatio debet fieri in eadem specie. nu. 9.

DVÆ possunt esse opiniones in hac quæstione, vna affirmatiua, altera verò negatiua. Opinio affirmatiua ita probari potest. Primò, per verba præsentis Constitutionis Clemen. VIII. in versi. vel denique, vbi inquit Summus Pontifex. *Vel denique offert se quisquam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quã-*

cunque

tumque ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita esse, vel fuisse, vel non fuisse. Et paulo inferiùs in versic. Qui vel alijs &c. inquit. *Etiam si pugna aliqua, nec certamen, aut accessus, vel actus ad pugnam proximus, neque expressa prouocatio subsecuta fuerit.*

Secundò, in hac eadem Constitutione Clem. VIII. versic. quinimò de nouo &c. generaliter excommunicat omnes cōtrauenientes in quibuscunque casibus sub hac præsenti, vel alijs Constitutionibus, ac Decreto Concilij Trid. cōprehēsis, in quibuscunque locis, modis, & formis: Sed lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, l. 1. §. in infinitum. ff. de leg. præst. Igitur comprehenduntur.

Tertiò, sententia excommunicationis est latè interpretanda, quia venit ad correctionem animæ, vt docet Panorm. in c. cùm in partibus. de verb. signif. 1

His tamen non obstantibus, opinio negatiua verior mihi videtur, quæ

Primò, ni fallor, clarè deducitur ex tenore verborum præsentis Constitutionis Clem. VIII. ex quó intentio statuentiū potest liquidò comprehendi iuxta Panorm. in cap. super quæstionem. num. 7. de offic. & potest. Iudicis deleg. Nam à Pio IIII. & Concilio Trid. prohibentur publica, & solemnia duella, quæ non nisi animo deliberato ex interuallo tēporis præcedente fieri poterant. 2

Postea Gregorius XIII. extendit aduersus illos, qui nō publicè, & solemniter, sed priuatim (nec ad omnes duellātes priuatim, sed ad illos tantùm, qui) ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commisissent, quæ etiā non nisi animo deliberato, & ex interuallo temporis præcedōte fieri poterat. Nec ad omnes spectatores illam extendit, sed ad eos tantùm, qui sunt ex composito spectatores.

Tandem Clemens VIII. easdem Constitutiones, & Decretum confirmat, & declarat, locum habere vbique gentium, & terrarum, etiam in castris, & Ducum permissu, si ex condicto ad singulare certamen aliquis descendat, aut ad illud prouocet.

Dixit ex condicto, idest ex promissione, seu pacto inuicē facto,

cto, quæ pacto significat animum deliberatum, & ex interuallo temporis procedit. Et sic procedit Summus Pontifex declarando, & extendendo eandem speciem duelli, quæ à prædecessoribus fuerat prohibita.

Quod facilè etiam colligi potest ex versi. quinimo de nouo etiam &c. vbi Summus Pontifex epilogando omnes casus cõprehensos tam in Constitutionibus prædecessorum, & Decreto Concilij Trid. quam in sua Constitutione contra duellan-
3 tes, non loquitur de duellantibus simpliciter, sed inquit, Duellum ex composito ineuntes. Illud verbum ex cõposito, quid aliud significat, nisi animum deliberatum ex interuallo temporis præcedenti? iuxta ea quæ dicit Iulius Clarus in §. homi-
1 cidium. num. 8. versic. ex proposito. Item ex composito, idẽ significat, quod composito ablatiuus, quasi dicat dedita opera, & vt conuenerat inter eos. Et communiter illud dicitur dedita opera fieri, quòd deliberatè, & ex interuallo temporis præcedente fit. Et paulò inferiùs quando loquitur de spectatoribus, non loquitur de omnibus, sed tantùm de industria spectatoribus. Nunc ad
2 casum nostrum, cùm illa prouocatio, seu vt vulgò dicitur, diffidatio ad duellum non sit deliberata, sed in rixa, & in ipso calore iracundiæ, dicendum est per supradicta non incidere in excommunicationem, & alias pœnas statutas cõtra duellantes & prouocantes.

4 Secundò, Constitutio, quæ fit ad roborandam, & interpretandam aliam, intelligenda est secundum eam, & concludenda terminis eius, vt clarè sentit glo. quam putat singularẽ Cardin. in Clemen. statutum in verb. consuetudo. de elect. ibi, oppositionem. Addens, quod easdem extensiones, & limitationes, quas recipit constitutio interpretata, debet recipere interpretans, & cum sequitur Felin. in cap. 1. de iureiur. nume. 1. & Nauar. in Miscellanea 70. num. 4. in tract. de orat. & horis canonic. cap. 22. sed præsens constitutio approbat, confirmat, innouat, & declarat Constitutiones Pij IV. & Greg. XIII. & decretum Concilij Trid. quæ loquuntur de duello deliberato, quod fit ex interuallo temporis præcedente, & nõ de pugna, quæ fit in rixa, & calore iracundiæ. Igitur secundum illas

illas est intelligenda, extendenda, & limitanda.

Tertiò, statutum, aut alia Constitutio puniens capitaliter homicidium, aut aliud delictum, intelligitur si dolo est commissum, vt multis Doctorum auctoritatibus cõprobat Menochius de arbit. Iudicum centuria 4. casu 324. num. 3. Sed quòd in rixa fit, & calore iracundiæ, non potest dici dolosè esse factum: Igitur ista constitutio nõ procedit, nec punit diffidationes, siue prouocationes in rixa, & calore iracundiæ factas, nec duella, siue potiùs pugnas, quæ ex ipsa rixa, & calore iracundiæ procedunt, cùm non sint propriè duella, sed rixæ.

Quartò, Constitutiones Principum debent intelligi secundum vulgarem modum loquendi. cap. 1. de torneament. & ibi Panor. quia vsus loquendi præfertur proprio significatui vocabuli etiam in materia stricta Bart. & alij, quos refert, & sequitur Panorm. in procemio Decretalis à num. 8. vsque ad 11. Sed iuxta vulgarem vsum loquendi illa appellantur duella, & prouocationes, seu diffidationes ad duellum, quæ fiunt dedita opera, animo deliberato, & ex interuallo temporis præcedente. Cætera verò, quæ fiunt calore iracundiæ, vel quæ ex altercationibus procedunt, appellantur rixæ, & non duella, nec prouocationes ad duellum: Igitur in excommunicationem non incidunt, nec alias pœnas incurrunt. 6

Quintò, odia restringi debent. cap. odia. de reg. iur. in 6. 7
Et punire affectum non secuto effectu odium est, & contra 8
naturam legum. l. cogitationis. ff. de pœnis. Igitur cùm prouocatio ad duellum sit affectus, non effectus duelli, ista Constitutio in casu nostro potiùs est restringenda ad deliberatam tantum prouocationem, quam amplianda ad illam, quæ fit in rixa, & calore iracundiæ absque deliberatione præuia.

In contrarium verò adducta non obstant, Et

Ad primum respondetur, quòd illa verba sunt intelligenda de prouocatione, quæ fit animo deliberato ex interuallo temporis præcedente, non autem in rixa, & in ipso calore iracundiæ, vt supra probatum est.

Ad secundum respondetur, quòd illa verba sunt generaliter intelligenda in eadem specie duelli, nempe deliberati,

vt patet ex illo verbo ex composito; non autem de simplici prouocatione facta in rixa, & calore iracundiæ.

9 Ad tertium dico, quod ampliatio debet fieri in eadem specie, & non ad aliam, vt docet Decius in l. nō debet cui, quod plus est. ff. de regul. iur. nume. 5. & Dynus in cap. cui licet quod plus est. de regul. iur. in 6. & Aristot. in 7. physic. cap. 4. Et inter duellum, & simplicem pugnam est specifica differentia: & similiter inter prouocationem ad duellum, quæ fit animo deliberato, & interuallo temporis præcedente, & illam prouocationem, seu diffidationem, quæ fit in rixa, & calore iracundiæ.

Quibus reiectis remanet firma conclusio, quod prouocationes facientes, vel acceptantes in rixa, & in ipso calore iracundiæ, non incidunt in excommunicationem, & in alias pœnas huius Constitutionis, secuto, vel non secuto effectu.

Quàm opinionem docet Ioan. de Lignano in tract. de duello in princ. versic. circa primum. num. 1. Plot. de in lit. iura. §. 24. nu. 3. Iacob. Castill. de duello in prin. nu. 4. vers. duellum est pugna &c. quos refert, & sequitur doctissimus Prosper Farinacius in suis Consilijs criminalibus cons. 9. & præcipue nu. vlt. & Sayrus de cens. eccles. lib. 3. cap. 31. nu. 25. in fi. vers. neque enim tam rigida &c. Lucas Floronus in suo tract. de prohibit. duelli. c. 1. à nu. 4. vers. dixi ex condicto, vsque ad num. 10. & c. 5. §. 2. nu. 1. vers. secundo in pœnas. Et nouissimè Illustrissimus Cardinalis Tuscus in Tomo 2. Pract. concl. Iuris, litera D. concl. 805. nu. 17. cuius verba sunt hæc, Et licet Bulla hæc (loquitur de Bulla Clem. VIII. vt in numero præcedenti) habeat latissima verba apta comprehendere omnem speciem inducentem Duellum; tamen, illa verba ex condicto, & ex composito restringunt, vt si duo veniant ad insultum, licet vnus dicat alteri, caccia mano à quella spada, aut, io voglio far questione con te, etiam si adijciat verba, io te sfido à duello, non habet locum, vt per Plot. ind. si quando. Et vnde vi hæc Tuscus. Sanchez similiter in Præceptis Decalogi hanc candem tenet opinionem.

QVAESTIO XIX.

Duo in actu duellum committunt, casu verò Titius ibi occurrit, & videns, quòd duellantium vnus erat suus amicus, vel consanguineus, naturali affectu motus ensem euaginat, & amicum, vel consanguineum adiuuat; Quæritur, An incidat in pœnam excommunicationis, & in alias pœnas contra duellantes, & adiuuantes inflictas?

SVMMARIVM.

Verba capiunt intellectum à præcedentibus & subsequentibus verbis. nu. 1. 1

Adiuuantes ex composito, & data opera duellantibus, incurrunt excommunicationem & alias vero pœnas. 2.

PRO resolutione huius difficultatis sciendū est, quòd sicut per hanc Constitutionem non excōmunicantur simpliciter pugnantes, & duellantes ex condicto, & ex composito, id est data opera, & animo deliberato, vt patet per præsentem Cōstitutionem in versic. quinimo de nouo &c. & in Constitutione Gregorij XIII. versic. auctoritate, & versic. volentes &c. & probatum est supra quæst. 18. Sic etiam non excommunicantur omnes adiuuantes, sed adiuuantes ex composito, & data opera, & scientes adiuuare, & auxilium præstare ex composito duellantibus, non autem simpliciter pugnantibus. Et ratio est, quia verba capiunt intellectum à præcedentibus, & subsequentibus verbis. l. si seruus plurium. & l. quæ filiabus. ff. de legat. 1. Sed in præsenti Constitutione excommunicantur (hæc sunt verba textus) *Duellum ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut prouocantes: opem, consilium, vel fauorem præstantes &c.* Illæ dictiones (necnon) coniungunt præcedentia verba cum sequentibus: Ergo sicut excommunicantur duellum ex composito ineuntes; ita etiā opem, vel fauorem ex composito præstantes. Et paulò inferiùs loquens de spectatoribus inquit, *de industria spectatores.* 1

SS M. Ergo

Ergo sicut non excommunicat, nec punit omnes spectatores, sed tantum ex composito spectatores: sic etiam non omnes adiuuantes punit; sed de industria adiuuantes, idest, dedita opera.

Similiter per Bullam Gregorij XIII. excommunicantur duellantes ex condicto, & locorum Domini si certamen ex condicto permiserint, aut quantùm in se fuerit, certamen nō prohibuerint: Postea sequitur; *Omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes &c.* Ergo sicut duellantes ex condicto excommunicantur, ita etiā auxilium, vel fauorem ex condicto præstantes.

2 Nunc respondendo ad punctum quæstionis, Titius non dedit auxilium amico, vel consanguineo ex composito, vel ex condicto, idest dedita opera ex interuallo temporis præcedente, sed casu ibi occurrit; Igitur non incurrit excommunicationem, nec alias pœnas.

Præterea ipse Titius ignorabat (ignorantia facti, quæ excusare solet) vt docet Corduba in suo quæstionario lib. 2. q. 4. propositione 5. Vasq. in 1. 2. D. Thom. tomo 1. disput. 124. c. 1. num. 1. & communiter DD. an illi simpliciter pugnarét, vel duellarent; Ergo non ad duellum dedit auxilium, sed tantùm naturali affectu motus auxilium præstitit amico, vel cōsanguineo: & per consequens non erit excommunicatus, nec alia pœna puniri debebit: Et hanc opinionem tenet Lucas Floronus in Tractatu de prohibitio. duelli cap. 11. §. tertio, nume. 1.

QVAESTIO XX.

Quæritur, an prouocantes ad duellum publicum, siue solemne, vel priuatum nullo statuto tempore, vel loco ad pugnandum, incidant in pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes, vel prouocantes ad duellum inflictas.

SVM-

SVMMARIVM.

Quæ de toto dicuntur, de parte etiam dicta intelliguntur, vbi est eadem ratio totius, & partis. nu. 1.
Constitutio facta ad roborandam, & declarandam aliam secundũ illam est intelligenda. num. 2.
Eadem est virtus taciti, & expressi. num. 3.
Determinatio temporis, & loci in duello pertinet ad prouocantem. num. 4.
Prouocantes ad duellum nullo statuto tempore, vel loco expressè incidunt in pœnas contra prouocantes inflictas. nu. 5.
Acceptantes prouocationes sibi factas ad duellum, etiam nullo statuto loco, & tempore expressè incidunt in pœnas contra prouocantes inflictas. num. 6.

DVÆ possunt esse opiniones, negatiua vna, altera verò affirmatiua.

Pars negatiua probatur: quia vbi eadem est ratio totius, & partis, quæ de toto dicuntur, de parte etiam dicta intelliguntur, vt sentit Iurisconsultus in l. quæ de tota. ff. de rei vendicatio. Sed prouocatio ad duellum est pars duelli, & per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. §. auctoritate Apostolica &c. puniuntur illi, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint: Ergo & similiter illi prouocantes ad duellum puniri debent, qui statuto tẽpore, & loco prouocationem fecerint ad duellandum; cùm eadem ratione, qua prohibitum est duellum, sit etiam prohibita prouocatio ad duellum.

Nec obstat præsens Bulla Clem. VIII. in §. vel denique offert se quispiam &c. iuncto §. qui ve aliis. & §. quinimo de nouo &c. in qua prohibetur, & punitur prouocatio ad duellum nulla facta mentione temporis, & loci.

Quia cùm præsens Bulla Clem. VIII. sit facta ad roborandam & declarandam Bullam Gregorij XIII. vt patet ex præsenti Bulla Clemen. VIII. §. nos nefaria. & §. ac insuper &c. 2

sequitur,

ſequitur, quòd ſit intelligenda ſecundum dictam Bullã Gregorij XIII. ſecundum doctrinam gl. quam reputat ſingularẽ Cardinalis in Clemen. ſtatutum. in verbo conſuetudo. de electio. ibi oppoſitionem &c, quam ſequitur Felinus in cap. 1. de iureiur. num. 1. & Nauar. in Tract. de horis canonic. cap. 22. miſcellanea 70. num. 4. Sed Bulla Gregorij XIII. clare loquitur de duello ſacro ſtatuto tempore, & loco: Ergo & ſimiliter eſt intelligenda præſens Bulla Clem. VIII. de prouocatione facta ad duellum ſtatuto tempore & loco: Et ita docet Lucas Floron. in ſuo tracta. de prohibit. duelli c. 5. §. 1. verſic. Tertium eſt, &c.

Pro parte verò affirmatiua, quæ probabilior mihi videtur, dici poteſt, quòd nunquam prouocatio, ſiue vt vulgò dicitur, diffidatio ad duellum fit abſque ſtatuto tempore, & loco expreſſo, vel tacito, quia licet à prouocante nõ ſtatuatur expreſsè, tacitè tamen intelligitur facta in aliquo tempore, & loco:
3 & hoc ſufficit ad incurrendas pœnas contra prouocantes inflictas, quia eadem eſt virtus taciti, & expreſſi l. cum quid. ff. ſi certum petatur. Vt exempli gratia: Titius offert ſe Sempronio ad probandam armis ipſum eſſe mendacem, nullo ſtatuto tempore, & loco: in hoc caſu, dum Titius, in cuius pote-
4 ſtate erat: ſecundum conſuetudinem duellantium determinare tempus, & locum, vt docet Alciat. in tracta. de duello, num. 4. non determinat, tacitè ad demonſtrandam maiorẽ promptitudinem duellandi, intelligitur trãſtuliſſe in arbitriũ Sempronij determinare tempus, & locum ad pugnandum, & ipſum eſſe paratum omni tempore, & in omni loco: quia indefinitum æquipollet vniuerſali. Et hac ratione credo, quòd tam per Pium IV. prædeceſſorem Gregorij XIII. quàm per Clem. VIII. ſucceſſorem eiuſdẽ Gregorij, qui ambo in ſuis Bullis prohibuerunt prouocationem ad duellum, & duellum ipſum, nulla mẽtio ſit facta temporis, & loci; quia vel expreſsè, vel tacitè ſemper ſtatuitur tempus, & locus. Et hoc ſufficit, vt dixi ad incurrendas pœnas contra prouocãtes ad duellum inflictas, & Confirmatur ex præſenti Conſtitutione Clemen. VIII. verſic. vel denique &c. & verſ. qui vel alijs &c. & ex his, quæ dixi ſupra in q. 5. nu. 7. verſ. Tertiò Clem. VIII.

Ad

Ad Bullam verò Gregorij XIII. quæ adducitur pro parte negatiuâ respondetur, quòd dum dicit statuto tempore, & in loco conuento intelligitur expressè, vel tacitè: Vnde cùm in prouocatione ad duellum semper tacitè insit determinatio tẽporis, & loci, quando expressè non statuitur, sequitur, quòd prouocãtes ad duellum solemne vel priuatum nullo expressè statuto tempore, vel loco ad pugnandum; incidant in pœnã 5
excommunicationis, & alias pœnas contra duellãtes, vel prouocantes ad duellum inflictas, quando tacitè saltem statuatur tempus, & locus.

Quam conclusionem amplio procedere etiam contra sponte acceptantes prouocationes ad duellum sibi factas, & ex cõdicto; etiam nulla expressione facta loci, & temporis, & etiã nulla secuta pugna, vel accessu ad aliquem locum animo pugnandi. 6

Probatur ista ampliatio quoad primam partem ex his, quæ dicentur in q. 21. vbi ex professo examinabimus an acceptantes prouocationem ad duellum sint excommunicati.

Quo ad secundam vero partem probatur, nam vel prouocans expressè statuit tempus, & locum, vel non: si expressè statuit, Ergo acceptando prouocationem ad duellum (dato quòd ipse acceptans prouocationem nullam expressionem faciat temporis, & loci) tacitè videtur acceptasse locum, & tempus præfixum à prouocante; & sic incidit in eamdem pœnã cum prouocante. Si expressè non statuit, quia in prouocatione regulariter tacitè inest ista determinatio loci, & temporis, vt supra probatum est, acceptans semper intelligitur acceptasse cum eadem determinatione, vt exempli gratia; Titius prouocat ad duellum Caium nulla facta expressione temporis, & loci, tacitè intelligitur remisisse in arbitrium Caij determinationem temporis, & loci ad pugnandum, & se offerre in omni loco, & tempore pugnaturum. Caius verò simpliciter acceptando prouocationem, & nihil determinando de loco, & tempore, videtur acceptasse prouocationem cum eadem oblatione temporis & loci, nempe in omni tempore, & loco, quo placuerit Titio: Et hoc modo videtur tacite esse statutum tempus, & locus ab vtraque parte; & per consequens

ambo

ambo incidisse in pœnas contra duellantes inflictas.

Et ratio est, quia si Titius prouocasset ad duellum Caium, expresse se offerendo pugnaturum cum eo in omni tempore, & loco, quo ei placuerit; & Caius ex altera parte acceptasset prouocationem expresse se offerendo ad pugnandum similiter in omni tempore, & loco, quo placuisset Titio, clarum esset (ni fallor) ambo incidisse in pœnas: quia iam statutum esset tempus, & locus ab vtraque parte: Ergo & similiter incidunt in pœnas, quando etsi non expresse, tacite tamen est ab vtraque parte statutum, & determinatum. Nam eadem est virtus taciti & expressi. l. cum quid. & ibi etiam DD. ff. si certum petat. & probatur etiam clarè ex præsenti Constitutione Clem. VIII. §. quive alijs &c. vbi excommunicat prouocantes ad duellum, etiam si neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit: Ergo sicut prouocantes incidunt in pœnas, etiã si neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit: similiter acceptãtes incidunt in penas; etiamsi neq; expresse, & aperte statutum sit tempus, & locus ad pugnandũ.

Probatur ampliatio quoad tertiam partem clarè ex præsenti Constitutione Clem. VIII. §. quive alij &c. ibi; *Etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit.*

QVAESTIO XXI.

Quæritur, an acceptãtes prouocationem ad duellum sint excommunicati, & incurrant in alias pœnas contra prouocãtes inflictas ipso facto, etiam non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo.

SVMMARIVM.

In pœnalibus, & odiosis lex non extenditur. nu. 1.
Quod iuris est de toto, quo ad totum; est etiam de parte quoad partem. num. 2.
Etiã in pœnalibus, & odiosis fit extensio ad fauorẽ animæ. nu. 3.

Lex pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extenditur ad alium casum non expressum. num. 4.
Acceptantes prouocationem ad duellum sunt excommunicati statim, etiam non secuta pugna. nu. 5.
Acceptantes in scriptis prouocationem ad duellum in scriptis factã, sunt excommunicati etiam non secuto duello. nu. 6.

IN hac quæstione duæ esse possunt opiniones, vna negatiua; altera affirmatiua.

Pars negatiua probatur, primò, quia in omnibus legibus, & Constitutionibus duellum prohibentibus nulla fit mentio de acceptante prouocationem, sed tantùm de prouocante, & duellantibus.

Secundò, quia diuersa est ratio de prouocante, & acceptante: nam prouocans magis peccat, & sponte prouocat: Acceptans verò quasi coactus ob defensionem sui honoris acceptat prouocationem.

1 Tertiò, in pœnalibus, & odiosis lex non extenditur vltra suum significatum proprium. l. cum quidam. ff. de liber. & posth. cap. odia. de regul. iur. in 6. Sed in præsenti quæstione tractatur de pœna incurrenda, quæ est odiosa: Igitur cùm Constitutiones loquantur de prouocante, non sunt extendendæ ad acceptantem.

Pars verò affirmatiua probatur. Primò per præsentem Cõstitutionem Clem. VIII. vers. quive aliis &c. vbi excommunicantur, & puniũtur non solùm pugnantes in duello, & prouocantes ad illud; sed etiam consulentes, mandantes, &c. & quomodolibet se immiscentes in eorum aliquo, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus subsecutus fuerit: sed acceptantes prouocationes ad duellum immiscent se delicto: Ergo sicut prouocantes puniri debent.

2 Secundò, quòd iuris est de toto, quoad totum, idem iuris esse debet de parte quoad partem. cap. super quæstionum. §. fin. cap. pastoralis. §. item cùm totum. extra de offic. deleg. l. quæ de tota. vbi gl. & Bartol. ff. de rei vendic. Sed pugnantes in duello incurrunt in pœnas contra duellantes inflictas,

siue sit prouocator, siue prouocatus. Et prouocatio ad duellum, est pars duelli, & æquè principaliter prohibita, etiã non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo, vt probatum est supra in quæst. 5. Ergo sicut prouocantes puniuntur, ita & similiter prouocationem acceptantes puniri debent, etiam non sequuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo, cùm ipsa acceptatio sit pars duelli, quemadmodum & prouocatio ad illud.

3 Tertiò, præsens Constitutio tendit ad fauorem animæ, & ad tollendum peccatum, vt patet ex prohemio ipsius; sed etiã in pœnalibus, & odiosis fit extẽsio ad fauorem animæ, & ad tollendum peccatum, vt docet Romana Rota in decis. diuersorum, vol. 2. decis. 29. num. 10. & Panorm. in cap. ex tenore. num. 6. qui filij sint legit. Crauet. de antiquit. tempor. par. 4. sec. videamus num. 10. quos refert, & sequitur Stephanus quarãta in Summa Bullarij tit. Monasteria monialiũ, in Decreto, quòd Religiosi ad monialium monasteria non accedant &c. & Iason qui alios citat in Auth. quas actiones. nu. 25. C. de sacros. Eccles. Sylu. in verb. lex. q. 19. Ergo pœnæ impositæ contra prouocantes ad duellum ipso facto; etiam non secuta pugna, nec accessu, vel actu ad pugnam proximo, debent extendi ad acceptantes prouocationem factam, etiam non secuta pugna, nec accessu ad locum pugnæ, nec actu ad pugnam proximo.

In contrarium verò adducta pro parte negatiua non videntur obstare.

Primùm non obstat: nam licet non fiat expressa mentio de acceptante, includitur tamen in præsenti Cõstitutione Clem. VIII. sub illo verbo, quomodolibet se immiscuerint.

Secundum nec obstat: nam negatur diuersam esse rationẽ de prouocante, & acceptante: Et ratio negationis est, quia vtraque actio est peccatum mortale, ex vtraque actione constituitur duellum; vtraque actione offenditur diuina maiestas: quæ sunt principales rationes, quæ mouerunt Clementem VIII. ad faciendam hanc Constitutionem, vt clarè patet ex eius prohemio: Sed lex pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extenditur ad casum alium non expressum, si ratio

tio si eadem, & legislator particulariter non disponat in contrarium declinãdo à ratione legis propter aliquam particularem, aut priuatam considerationem, vt docet Sylu. in verb. lex. q. 18. versi. Et dico &c. glo. in Clem. 1. de elect. in verb. eligatur. & Villadiecus in tract. de hæt. q. 13. nu. 17. Ergo eadem debet esse iuris dispositio de prouocante, & acceptante, licet de acceptante nulla sit facta expressa mentio.

Ad illud verò, in quo dicitur, quòd non spontè, sed coactus ob defensionem sui honoris acceptat prouocationẽ ad duellum, patet responsio in tertio præmisso generali præsentis tractatus vers. quartò fieri solebat duellum. &c. quam breuitatis causa hic non repeto.

Ad tertium patet responsio ex tertia ratione allata pro parte affirmatiua.

Vnde reiectis contrarijs remanet firma conclusio, Acceptantes prouocationem ad duellum esse statim excommunicatos, & incurrere pœnas contra prouocantes, seu diffidantes ad duellum inflictas, etiam non secuta pugna, nec accessu, aut actu ad pugnam proximo. 5

Quam conclusionem ex identitate rationis amplio procedere etiam in acceptatione facta in scriptis, quando prouocatio esset facta in scriptis per libellum prouocatorium. 6

QVAESTIO XXII.

Prouocantes ad duellum non verbis, sed factis, quæritur, an incurrant pœnas in hac Constitutione positas?

SVMMARIVM.

Lex, quæ generaliter loquitur, generaliter debet intelligi. nu. 1.
Voces sunt signa earum, quæ in animo sunt passionum. nu. 2.
Prouocantes ad pugnam non verbis, sed factis, quãdo non incurrãt pœnas contra duellantes inflictas, sed alias pœnas. nu. 3.
Iniuriæ non sunt prouocatoriæ ad duellum, sed incitamenta ad altercationes, & rixas. num. 4.
Defensio est de iure naturæ. nu. 5.


1 D quæstionem propositam videtur respondendum incurrere pœnas supradictas: Quia lex, quæ generaliter loquitur, generaliter debet intelligi. l.1. §.in infinitum.ff.de legat. præst. Sed per Constitutionem Pij I V. quæ incipit. Ea quæ & per præsentem Clem. V I I I. puniuntur omnes ad duellum irritantes, & prouocantes in quibuscunque locis, modis, & formis, vt patet in hac Constitutione, versic. quinimo &c. Igitur incurrunt pœnas huius Constitutionis.

Quod autem istæ actiones sint prouocatoriæ ad duellum, experientia teste omnibus patet.

Sed respondendum est ad propositam quæstionem distinguendo actiones; Aliquæ enim ex communi vsu ad duellum sunt prouocatoriæ, & verbis æquipollent, vt exempli gratia: Si quis signis, vel nutibus alteri, cum quo præcessit aliqua inimicitia, locum designaret, & arma, quibus vellet cum ipso pugnare, & non aggrederetur, sed illius responsum per signa expectaret: In hoc casu esset completa ratio prouocationis, seu diffidationis, & incideret in pœnas contra prouocantes inflictas:
2 Et ratio est, quia cùm voces sint signa eorum, quæ in animo sunt passionum, vt docet Arist. in lib. 1. Perihermenię c.1. & hæc signa ex cõmuni vsu id ipsum, quod voces ad duellum prouocatoriæ significent, eadẽ est ratio de illis, ac de vocibus: Ergo eadem debet esse iuris dispositiõ, cap. dudũ. il 2. de elect. cap. cum dilecta. de confirmat. vtili vel inutili.

3 Aliquæ verò actiones ex communi vsu non sunt ad duellũ prouocatoriæ, vt deambulatio ante inimicum, vel toruo visu illum aspiciendo, vel aliqua iniuria verbis, vel factis eum afficiendo, vel euaginando ensem &c. Et in his, & similibus casibus non incurrunt pœnas huius Constitutionis illas faciẽdo, sed alias pœnas.

Et discurrendo sigillatim per omnes supradictas actiones:
3 Deambulatio ante inimicum, vel inspectio visu toruo de eorum natura, & ex his, quæ communiter accidunt, sunt incitamenta ad rixas, & ad altercationes, non autem ad duella: Et inter altercationes, & duella magna est differentia; sic etiã & inter rixas; quia multa sunt de essentia duelli, quæ non requi-

quiruntur ad altercationem, nec ad rixam, & quamuis omnē duellum sit alteratio, tamen non omnis altercatio est duellū, nec omnis rixa est duellum: Altercatio enim est contentio, quæ fit verbis tantùm: duellum verò fit verbis, & factis: Et rixa est contentio, quæ procedit calore iracundiæ, absque qualitate animi deliberati, quocunque modo fiat, siue cum armis, siue non, siue tendat ad effusionem sanguinis, siue non: Duellūm verò iuxta communem vsum loquēdi, & de quo loquitur præsens Constitutio, est illud, quod committitur ex proposito, præuia animi deliberatione, ex interuallo tēporis præcedente, & fit cum armis, & tendit ad mortem, & ad effusionem sanguinis. 4

Iniuriæ verò si fiunt verbis tantùm, non sunt prouocatoriç ad duellum, cùm sola negatione repelli possunt absque duello, vt inquit Mutius Iustinopolitanus in suo tracta. de duello lib. 1. cap. 3. col. 3. sed sunt tātùm incitamēta ad altercationes, & rixas. Si verò fiat factis, possunt etiam factis repelli eodem tempore, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: Et sic non est duellum, sed defensio, quę est de iure naturę. l. vt vim. ff. de iustit. & iure. 5


Circa euaginationem ensis, vel fit absque verbis prouocatorijs ad duellum, & potiùs est aggressio, quàm prouocatio ad duellum, & aggressus iustè potest se defendere. Vel fit cū verbis prouocatorijs, vt vulgariter dici solet (*metti mano per la spada*) & etiam est aggressio: quia siue velit, siue nolit, intendit cum illo digladiari: & sic cùm non sit pugna voluntariè ex vtraque parte suscepta duellum dici non potest.

QVAESTIO XXIII.

Petrus offert duellum Titio, & eodem tempore, quo offert duellum, euaginat ensem, & aggreditur illum: vnde cogitur Titius similiter euaginare ensem, & pugnare: Quæritur, an Titius incidat in excommunicationem, & alias pœnas huius Constitutionis?

SVMMARIVM.

Offerens duellum Titio, & eodem tempore euaginans ensem, nõ est duellum, sed aggressio. nu. 1.
In pugna principium semper attenditur. nu. 2.
Regulariter non punitur affectus, nisi sequatur effectus. nu. 3.



RESPONDEO Titium non incidere in excõmunicationem, & alias pœnas huius Constitutionis. Et ratio est, quia oblatio facta à Petro non est propriè oblatio ad duellum, sed aggressio; nam euaginando eodem tempore ensem, & aggrediendo Titium clarè demõstrat, velle coarctare Titium ad pugnãdũ: Sed duellũ est singularis pugna ab vtraque parte sponte suscepta: Ergo dũ Titius non sponte, sed coarctatus pugnat, pugna ex parte sua non potest dici duellũ, sed potiùs defensio: sed defensio de iure diuino, & naturali est per-
1 missa. l. vt vim. ff. de iust. & iur. cap. significasti il 2. de homic. Ergo Titius non peccat, & per consequens non est excõmmunicatus, nec incidit in alias pœnas huius excõmunicationis.

Sed quæret aliquis si Titius excederet modum defensionis, an incideret in pœnas supradictas? Et ratio dubitationis est, quia defensio debet esse cũ moderamine inculpatæ tutelæ. Ergo excedendo videretur voluntariè pugnasse, & non coactè.

Respondeo adhuc non incidere, quia in pugna principium
2 semper attenditur: quia ex ordine principij alia declaramus, vt docet Aymon conf. 9. num. 32, quem refert, & sequitur Tiberius Gerasius in suo Responso inter cõsilia criminalia Prosperi Farinacij consi. 43. num. 17. & Bart. in l. Quot ait. ff. de Adulterijs, quem refert & sequitur Remigius de Gonni in suo Tract. de Immu. Eccl. Fallentia 4. nu. 1. §. Syluanus & d. nu. 2. Vnde si à principio aliqua pugna incipiatur data opera, omnia quæ sequuntur, etiam data opera præsumuntur facta: si vero incipiatur in rixa similiter sequentia in rixa præsumuntur facta; Sic in casu nostro cùm à principio pugna nõ fuerit duellica ex parte Titij, vt supra probatum est, & inuoluntariè suscepta, omnia, quæ sunt secuta præsumuntur nõ volũtariè,

sed inuoluntariè facta: Nec in illo actu pugnæ potest quis ita limitatè se defendere, vt de facili non possit excedere: Et licet excessus sit culpabilis, & puniatur à lege, nō tamen sequitur, quòd puniri debeat pœnis huius Constitutionis contra duellantes statutis.

Insuper dubitari posset de persona Petri, an esset excommunicata, & incidisset in pœnas huius Constitutionis Clemen. VIII. Et similiter negatiuè respondendum esse mihi videtur ex supradictis: quia oblatio facta à Petro non est prouocatio propriè ad duellum, sed potiùs aggressio, cum absque temporis interuallo ensem euaginauit. Vnde cum post oblationem duelli, & euaginationem ensis tempus non intercesserit, in quo posset Titius deliberare, an vellet acceptare, nec ne; negari non potest fuisse aggressionem, & non duellū: vnde puniri debet vt aggressor, non autem vt duellista.

Quæ conclusio procedit, etiamsi Petrus non animo aggrediendi Titium venisset, sed animo deliberato prouocandi eum ad duellum, quamuis posteà calore iracūdiæ ensem euaginauerit, Et ratio est, quia regulariter non punitur affectus, 5
nisi sequatur effectus, cap. cogitationis. extra de pœnis. l. qui falsam monetam. ff. de falsis. Vnde animus Petri quamuis fuisset prouocandi ad duellum, tamen re vera in effectu fuit aggressio, vt probatum est: Et Ergo aggressionis pœna, non autem prouocationis ad duellum puniendus.

QVAESTIO XXIV.

Titius prouocauit Sempronium ad duellum non animo veniendi ad pugnam, sed tantum vt vir fortis, & animosus appareret, & alteri verecundiam inferret; Quæritur, an inciderit in excommunicationem, & alias pœnas contra prouocantes inflictas?

SVMMARIVM.

Animus, & propositum distinguunt maleficia. nu. 1.
Actus agentis non operatur præter eius intentionem. nu. 2.

Prouocans aliquem ad duellum non animo veniendi ad pugnã, sed tantùm vt vir fortis appareat, an incidat in excommunicationem &c. num. 3.
Ratio comprehendit omnes casus etiam non expressos in lege. nu. 4.
Agens non potest tollere malitiam actus. nu. 5.



RES opiniones possunt esse in hac difficultate. Prima, Titium nullo modo incidisse in excommunicationem, & alias pœnas contra prouocãtes ad duellum inflictas, quæ probatur.

1 Primò, quia animus, & propositum distingunt maleficia. l. verum & l. quæ iniuriæ. ff. de furtis sed prouocans in casu nostro non habuit animum duellandi: Ergo non incidit in pœnas contra prouocantes ad duellum inflictas.

Secundò, adhoc vt prouocans incidat in pœnas contra duellantes inflictas, requiritur animi deliberatio, vt latè probatũ est supra in quæstione XVIII. Sed qui prouocat non animo veniendi ad pugnam, nõ habet animum deliberatum: Igitur
2 non incidit in pœnas huius Constitutionis Clem. VIII.

Tertiò, prouocatio facta absque animo pugnandi, non est formalis prouocatio ad duellum, sed materialis tantùm: sed verba legis sunt formaliter intelligenda, & non materialiter tantùm. l. scire leges. ff. de legib. Ergo cùm prouocatio in casu nostro non sit formalis, sequitur, quod non comprehendatur sub nomine duelli, siue prouocationis ad duellum, & per consequens non inciderit prouocans in excommunicationem, nec in pœnas ordinarias contra prouocantes ad duellam inflictas.

Secunda opinio potest esse Titium incidisse in pœnas in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ, & præcipuè in excommunicationem. Probatur prima pars huius opinionis, quia Titius prouocauit: At præsens Bulla prouocantes punit: Ergo incidit in pœnas. Cui enim conueniunt verba legis, & dispositio conuenire debet. atg. l. 2. § toties. ff. de damno infecto. Prætereа loquela hominis illius animam indicat, vt inquit Baldus in l. sed & reprobaui. in principio. ff. de excusat. tutor.

Pro-

Probatur secunda pars huius secūdæ opinionis, quia actus agentis non operatur præter eius intētionem.l.non omnis. ff. si certum peta. cap. cum voluntate.de sent. excommun. cap. ad audientiam. de decimis: Sed finis, & intentio Titij non fuit duellandi: Igitur non est prouocatio ad duellum, & per consequens non incurrit in excommunicationem in foro cō scientiæ. Et huius opinionis est Luc. Floronus in suo tracta. de prohibit. duelli. cap. 6. §. 2.

Tertia opinio, quæ verior mihi videtur potest esse, Titium tam in foro fori, quàm in foro conscientiæ incidisse in excōmunicationem, & alias pœnas contra prouocantes inflictas. Probatur 3

Primò, quia illa prouocatio poterat acceptari à prouocato, & poterat esse caussa veniendi cum effectu ad pugnam: Et licet prouocans habuerit animum non pugnandi, tamen volū tas in momento mutari poterat, & sic prouocans præbuit materiam, & occasionem proximam veniendi ad duellum: Sed in præsenti Constitutione Clem. VIII. in vers. Præterea pari ratione &c. prohibentur scripta, seu manifesta, vel fides quæ etiam sine expressa prouocatione ad certamen solent esse radices, & semina veniendi ad pugnam, & occasionem, & materiam præbere solent duellādi: Ergo si scripta huiusmodi sunt prohibita ex eo, quia occasionem præbent duellandi, & facientes huiusmodi scripta sunt excommunicati, & incidunt in pœnas contra duellantes inflictas in vtroque foro: Similiter & supradicta verba apertè prouocatoria, quæ occasionem proximam pugnandi esse poterant, sunt prohibita, & punita in vtroque foro, cùm eadem ratio sit in vtroque casu, & per consequens eadem debeat esse iuris dispositio. cap. dudum. il 2. de elect. c. cùm dilecta. de confirmat. vtili vel inutili. l. illud ff. ad leg. Aquil.

Quia ratio comprehendit omnes casus, etiam non expressos in lege, & constitutione l. his solis. C. de reuocandis donationibus. Cardinalis Paris. consil. 83. num. 21. volum. 3. Decius consil. 284. col. 2. 4

Secundò, prouocantes ad duellum excommunicantur, & puniuntur à Pio V. & Clemente VIII. in suis Constitutio-

nibus, etiam non secuto effectu, non alia causa, nisi quia præbent occasionem proximam, & materiam duellãdi: sed prouocantes etiam sine animo veniendi ad pugnam præbent eãdem occasionem pugnandi, & duellandi non minus, quàm illi, qui animum habent pugnandi, cùm ille animus non pugnandi non sit notus prouocato: Igitur incidit in excommunicationem, & in alias pœnas contra duellantes inflictas.

Tertiò, probatur ex Constitutione Pij IV. quæ incipit, Ea quæ. versic. *Illosque tam ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & prouocantes.* Nota illa verba *(quàm eos ad id tentantes)* nam is, qui prouocat, quanuis habeat animum non pugnandi, verè tentat prouocatum.

Quartò, Ecclesia in præsenti casu punit, & iudicat actionẽ illam externam prouocationis, considerando finem illius, nõ autem finem prouocantis. (Diuersus est enim in præsenti casu finis operis à fine operantis, & prouocantis:) Sed prouocans in casu nostro illa actione externa moraliter peccauit, quanuis animum pugnandi non habuerit: Ergo deliquit contra Constitutionem Pij IV. & Clem. VIII. prohibentes, & punientes prouocationes ad duellum. Si deliquit, ergo incidit in pęnas ab illis inflictas.

Quintò, prouocatio ad duellum est principaliter prohibita, vt probatum est supra in quæstione 5. conclus. 1. in fine: Ergo etiam si ex intentione prouocantis non ordinetur ad pugnam nihilominus prouocans incurrit excommunicationem: Et ratio est, quia sufficit, vt deliberatè velit actionem illam, quæ est principaliter prohibita: finis autem ille, quem sibi præscripsit Titius, est extrinsecus illo actui, & per consequens accidẽtalis illi, vt docet Vasq. in 1.2. D. Thom. tomo 1. dispu. 51. cap. 2. in fi. & D. Thom. in 22. q. 141. art. 6. in resp. ad primũ, & in 2. sent. dist. 1. q. 1. artic. 1. Ergo in consideratione non est habendus.

Sextò, qui vult antecedens, ex quo per se sequitur consequens, saltem vt plurimum, dicitur velle ipsum consequens: sed talis est prouocatio respectu pugnæ: Ergo dicitur velle ipsam pugnam.

In cõtrariũ verò adducta pro prima opinione nõ obstãt. nã

Ad primū Respondetur declarando minorem, ūepe, quod illa actio externa ex se absque pugna, vel animo veniendi ad pugnam est prohibita, & punita per præsentem Constitutionem Clem. VIII. tanquam occasionem præbens duellandi, vt probatum est supra in prima ratione pro tertia opinione, & in tertia ratione per Bullam Pij IV.

Ad secundum respondetur declarando etiam minorem: nam licet qui prouocat animo non pugnandi, non habeat animum deliberatum duellandi: tamen negari non potest, quòd illa prouocatio sit deliberatè, & data opera facta. & hoc sufficit ad incurrendas pœnas, non obstante animo non pugnandi.

Ad tertium respondetur, quòd per præsentem Constitutionem Clem. VIII. est prohibita non solùm formalis, sed etiā materialis prouocatio, vt probatum est in prima ratione, & in quinta pro tertia opinione.

Ad probationem verò secundæ partis secundæ opinionis Respondetur.

Quòd agens non potest tollere malitiam actus, quia est inseparabilis ab illo: vt exempli gratia, qui fornicatur animo furandi licet voluntate sua peccatum furti committat, est nihilominus fornicatio, quia illa malitia fornicationis est inseparabilis ab illo actu: Sic etiam in casu nostro, licet Titius non habuerit animum duellandi, sed tantùm vt animosus appareret, & verecundiam alteri inferret, tamen ista malitia non tollit aliam; quam habet actio illa, nempe præbendi occasionem proximam duellandi. Et hac de causa punitur à Pio IV. & Clem. VIII. in suis Constitutionibus, quæ Constitutiones in vtroque foro ligant transgressores. 5

Vnde reiectis contrarijs remanet firma Conclusio, prouocantem supradictum in vtroque foro incidisse in excommunicationem, & puniri posset pœnis contentis in præsenti Constitutione.

QVÆ-

QVAESTIO XXV.

Titius prouocatus à Sempronio ad duellum committendũ, illud acceptauit, & pugnare intendebat; Petrus Titij frater pugnam illi dissuasit: tamen quia à suo proposito non potuit Titium reuocare, loricam ipsi donauit, vel commodauit, vt meliùs ille posset se ab aduersario defendere: Quæritur, an inciderit Petrus in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes, & auxilium præstantes inflictas?

SVMMARIVM.

Commodans loricam duellanti incidit in excommunicationẽ &c. dato quòd dissuaserit duellum. nu. 1.



IDETVR dicendum, Petrum non incidisse in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes, & auxilium pręstantes inflictas, quia ipse non intendebat duellum committi, immo potiùs dissuasit: Et arma Titio commodata, vel donata non erant offensiua, sed defensiua: Ergo cùm finis Summorum Pontificum prohibentium duellum fuerit euitare mortes, quæ in duellis occurrere solebant, & arma defensiua à Petro Titio commodata non erant ad mortem inferendam, sed potiùs ad euitandam, sequitur non incidisse in excommunicationem, neque in alias pœnas contra duellantes, & auxiliantes inflictas; quia cessante causa excommunicationis, & pœnarum, cessat effectus: cap. cùm cessante. de appellat. Et huius opinionis est Lucas Floronus in tract. de prohibit. duelli. c. 11. §. 3. num. 4.

1 Oppositum tamẽ verius mihi videtur, quia licet Petrus dissuaserit duellum Titio, tamen cùm à proposito non potuerit illum remouere, donando illi, vel commodando arma verè, & cum effectu scienter illi duellanti auxilium præstitit. Nam Titius dabat operam rei illicitæ, & non pugnabat ex necessitate, sed ex voluntate non ad defensionem, sed ad offensionẽ: Ergo sequitur, quòd similiter actio Petri fuit mala, & à præ-

senti

senti Constitutione, & alijs prohibita. Nec intentio bona Petri tollere potest malignitatem actus à lege prohibitus, quin malus non sit: nam malum causatur ex singularibus defectibus, & bonũ consurgit ex integra caussa, vt docet D. Tho. in 1. 2. q. 19. art. 6. in resp. ad 1. & Vasqu. ibid. tomo 1. disput. 60. c. 3. in prin. Præterea finis operis in casu nostro est diuersus à fine operantis: finis enim operis est auxiliũ præstare duellanti, & hunc finẽ respicit lex prohibens actum externum: finis verò Petri licet sit defensio, tamen ille finis est extra essentiã actus externi, & per consequens accidentalis illi, vt docet Vasq. in 1. 2. D. Tho. tomo 1. disput. 51. c. 2. in fi. & D. Tho. ante ipsum in 2. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. & in 2. 2. q. 141. artic. 6. in respon. ad primum, & propterea in consideratione non est habendus.

Et licet arma fuerint defensiua, tamen indirectè sunt offensiua, quia Titius animosior ex lorica factus est ad offendendum, quæ licet sit defensiua respectu Titij, indirectè est offensiua respectu Sempronij. Sed per præsentem Constitutionem Clem. VIII. in vers. quinimo, excommunicantur, & puniũtur auxilium & opem præstãtes ad duellum in quibuscunque modis, & formis: Ergo Petrus in casu nostro incidit in excõmunicationem, & alias pœnas.

QVAESTIO XXVI.

Ad aures Pamphili peruenit, Titium malè de se locutum fuisse, vnde vnà cum socijs illum adiuit, dicens, eum mentitũ, si dixisset, quod sibi relatum fuerat, & manum ensi apposuit: Sed cùm Titius negasset vnquam de eo male locutũ fuisse, ipse Pamphilus acquieuit; Quæritur nunc, an Pamphilus vna cum socijs inciderit in excommunicationem, & alias pœnas huius Constitutionis?

SVMMARIVM.

Ea, quæ dubia sunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus. nu. 1.

Arguens aliquem de mendacio data opera, & ponens manum ensi, incidit in excommunicationem &c. nu. 2.

PRO

PRO resolutione supradicti quæsiti prima facie distinguendum videtur, vel Pamphilus habebat animum duellandi, vel prouocandi ad duellũ; vel sustinendi cum armis mentitam datam: vel tantùm se defendendi casu, quo Titius vellet eũ offendere: Si primum & communicato consilio vnà cum socijs illum adiuit, absque dubio vnà cum socijs incidisse videtur in excommunicationem, & alias pœnas præsentis Constitutionis.

Si secundum videtur non incidisse, quia esset defensio. Si verò esset dubius, vel non recordaretur, quo animo fecisset; in hoc casu, quia ea, quæ dubia sunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus. c. estote misericordes. extra de reg. iur. & illa appositio manus ad ensem potuit fieri animo se defendendi, non autem prouocandi, vel sustinendi cum armis mentitam datam, videtur potiùs decidendum esse, non incidisse in excommunicationem, & pœnas huius Cõstitutionis, quàm oppositum.

Tamen supradictis non obstantibus probabilius videtur dicendum, Pamphilum incidisse in excommunicationẽ, & alias pœnas contra prouocantes ad duellum inflictas. Probatur.

Primò, quia illa appositio manus ad ensem (ex cõmuniter accidentibus) est quædam tacita prouocatio ad duellum, & denotat velle cum armis sustinere, & probare, Titium dixisse mendacium, quód prohibitum est per præsentem Constitutionem Clem. VIII. in vers. vel denique offert se &c.

Secundò clarè probatur ex præsenti Constitutione versic. Vel si ex simili abusu &c. vbi hæc actio expresse prohibetur his verbis; *Vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is siue nominatim, siue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur.*

Tertiò, probatur ex Constitutione Pij IIII. quæ incipit, Ea quæ &c. vers. Illosque tam ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & prouocantes &c. Sed Pamphylus quãuis animum non habuerit duellandi, verè illa actione, & illis verbis tentauit, & prouocauit Titium ad duellum: nam vt plurimum ex similibus actionibus sequi solet duellum: Ergo

incidit in excommunicationem, & alias pęnas contra duellantes inflictas.

Nec obstat, quòd Pamphylus non habuit animum duellandi, vel prouocandi ad duellum, sed tantùm se defendendi; quia in hac actione nō attenditur animus, & finis Pamphyli, qui est extrinsecus, & per consequens accidentalis illi actioni externæ, vt docet Vásq. in 1.2. D. Th. disp. 51. c. 2. in fi. Sed attenditur actio ipsa externa, quæ occasionem proximam affert duellandi, & per consequens, vt talis, est prohibita, & punita per præsentem Constitutionem, & per Constitutionem Pij IV. vt patet ex supradictis in qu. 24. num. 3.


Vnde remanet firma Conclusio: Pamphylum vnà cum socijs incidisse in excommunicationem, & alias pęnas huius Constituionis.

QVAESTIO XXVII.

Fidem faciens, vel narrans aliquod factum, quod materiam, & occasionem prębeat inimicitię absque periculo duellandi, quæritur, an incurrat pęnam excommunicationis, & alias pœnas præsentis Constitutionis Clementis VIII.

SVMMARIVM.

Fidem facient, ex qua oritur occasio inimicitiæ; non autem duellandi, non incurrit in excommunicationem, & alias pænas contra duellantes inflictas. num. 1.



ATIO dubitandi oritur ex illis verbis huius Constitutionis Clem. VIII. versi. *Præterea pari ratione prohibemus omnia, & singula eius scripta, &c. quæ veluti radices, & semina lacessendi, atque inimicitiæ materiam, & occasionem præbent.*

Et breuiter respondetur negatiuè, quia in tantum prohibētur à Summo Pontifice istæ fides, & narrationes &c. in quātum occasionem præbent duellandi, & quia inimicitia solet esse causa proxima duellandi, ideo prohibentur.

1 Sed dato casu, quòd sit certus fidem, vel narrationem fa-

ciens, quòd non sit ex illa secuturum duellum, nec prouocationem ad duellum, quanuis inimicitia oriatur, tunc peccat mortaliter propter occasionem, quam præbet inimicitiæ, & odij, non autem incurrit in pœnas in hac Constitutione statutas.

QVAESTIO XXVIII.

Audientes narrationes, declarationes, vel testificationes, quæ in scriptis, vel sine scriptura fieri solent in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet, sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ tuendæ, aut lædendæ, Quæritur, nunquid incidant in pęnam excommunicationis & alias pœnas sicut ipsi narrantes, declarantes, vel testificantes incidunt?

SVMMARIVM.

Lex pœnalis, & odiosa non extenditur extra suum significatum. num. 1.

Audientes data opera, vel legentes aliquam declarationem ad duellum pertinentem sunt excommunicati, & incurrunt alias pœnas contra duellantes inflictas. num. 2. & 5.

Lex pœnalis extenditur ad fauorem animæ; & reipublicæ. nume. 3. & 4.

1 DICENDVM videtur in quæstione proposita, quòd non incidant in dictas pęnas.

Et ratio est, quia regula iuris est, quod lex pœnalis, & odiosa non extendatur extra suum proprium significatum lege cùm quidam. ff. de lib. & posthum. c. odia de reg. iur. in 6. Vndè cum præsens Cõstitutio excommunicet, & puniat facientes, & publicantes dictas narrationes, declarationes, vel testificationes, siue in scriptis fiant, siue sine scriptura, non debet extendi ad audientes.

2 Sed breuiter respondetur, quod si data opera, & ex composito,

sito, & ad eumdem effectum audiunt, incidunt, in easdem pœnas. Probatur.

Primò, quia sunt socij criminis, qui eadem pœna puniri debent, vt patet per Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendam &c. versic. volentes etiam &c. & per præsentem Constitutionem Clem. VIII. versic. quinimo &c. & communis opinio DD. id docet, teste Iulio Claro in §. fi. suæ practicæ criminalis q. 88. nu. 1.

Secundò, quia opem ferunt, & eorum præsentia cooperantur ad illum actum principaliter, & simpliciter prohibitum per hanc Constitutionem, vt patet à vers. Præterea pari ratione. vsque ad vers. quivè alijs, inclusiue: vbi punit non solum narrationes, declarationes, vel testificationes prædictas facientes, & publicantes, sed etiam (hæc sunt verba Constitutionis in vers. quivè alijs &c.) *quivè in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint*.

Nec obstat regula iuris in contrarium adducta: nam quando extensio tendit ad fauorem animæ, ita debemus legem pœnalem extendere sicut legem fauorabilem, vt docet Io. Andr. 3
& Abbas in cap. ex tenore. extra, qui filij sint legit. Iason in Authent. quas actiones. nume. 25. C. de sacrosanct. eccles. Romana Rota in decisionibus diuersorum parte 2. decis. 29. num. 10. Et similiter debemus illam extendere, quando tendit ad fauorem Reipublicæ, vt docet Bart. in l. quemadmodum. C. de Agric. & censib. lib. 11. & Aegid. Bossius in sua 4
practica criminali ti. de pœnis, num. 12. Sed præsens Constitutio tendit ad fauorem animæ, vt patet ex prohemio ipsius; & etiam ad fauorem Reipublicæ: nam punire maleficia ad hoc, vt prouincia purgetur malis hominibus, tendit ad fauorem publicum. arg. tex. in l. congruit. ff. de offic. Præsid. Bart. & Bossi. in locis præallegatis. Igitur pœna imposita cõtra narrationes, declarationes, vel testificationes facientes, & publicantes ad effectum, de quo supra extendi debet ad audientes data opera, & ad eumdem effectum.

Ampliatur dicta Conclusio, vt procedat non solum ad audientes dictas narrationes, declarationes, vel testificationes, 5
sed etiam ad legentes, quando fiunt in scriptis, dummodo legant

gant

gant data opera, & ad eumdem effectum: quia est eadem ratio, & propterea debet esse eadem iuris dispositio. cap. dudū. de elect. cap. cum dilecta. de confirmat. vtili, vel inut. Nam ratio comprehendit omnes casus etiam non expressos in lege, & Constitutione l. his solis. C. de reuocat. donat. Decius consil. 284 col. 2. Cardin. Parif. consi. 83. num. 21. vol. 3.

Ampliatur secundò, vt procedat dato, quod ex illa declaratione, narratione, vel testificatione nulla sequatur pugna, neq; prouocatio ad pugnam, vt patet ex præsenti Cōstitutione Clement. VIII. vers. quive alijs &c. ibi, *Etiamsi neq; pugna aliqua, aut certamen, aut effectus, aut accessus &c. aut aperta prouocatio subsecuta fuerit.* Quam Conclusionem, sic ampliatam.

Limito primò, non procedere, quādo non data opera, sed casualiter audirent. Et ratio est, quia sicut per Cōstitutionē Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendā. vers. volentes etiā. &c. & per præsentē Cōstitutionem Clem. VIII. versi. quinimo &c. non omnes spectatores puniuntur, sed tantùm de industria, & ex cōposito spectatores, vt latè probaui in expositione tex. glo. 29. ita etiam ex identitate rationis non omnes audientes puniuntur, sed tantum illi, qui data opera, & ad eundem effectum audiunt.

Limito secundò, non procedere, quando audientes, vel legētes ignorarent ad quem finem erāt manifestatæ. argum. tex. in c. apostolicæ. de cleric. excommunicat. minist. Et ratio est, quia est ignorantia facti, quæ excusat à pœna, vt probaui in q. 8. conclusio. 8. num. 21.

QVAESTIO XXIX.

Titius dedit auxilium Sempronio ad duellum committendum, vel ad prouocandum ad duellum, posteà emendans se tempore, quo res erat integra, id est antequā Sēpronius pugnaret in duello, vel antequam prouocaret ad duellum, sustulit auxilium; Quæritur, an Titius inciderit in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas, si non obstāte remotione auxilij secutum est duellum, vel secuta est prouocatio ad duellum?

SVMMARIVM.

Dans auxilium ad duellum, vel ad prouocationem ad duellum, si re integra aufert auxilium, dato, quòd sequatur duellum, vel prouocatio non incidit in excommunicationem. nu. 1.

Verba dubia capiunt intellectum à præcedentibus & sequentibus. num. 2.

Consulens duellum si dissuadendo solum non posset impedire delictum, sed posset alia via, teneretur alia via qua posset impedire. num. 3.

DVAE possunt esse in hac quæstione opiniones, vna affirmatiua, altera verò negatiua.

Pro parte affirmatiua, dici potest, quòd ista actio, nempè auxiliari, est principaliter prohibita, vt videri potest in præsenti Bulla Clem. VIII. versic. Quinimo. vbi excommunicantur duellum ex composito ineuntes, necnon (idest similiter, vt in cap. fin. de statu Monach. in fi.) id scelus suadentes, aut prouocantes, opem, consilium, vel fauorem præstantes &c. Ergo dato auxilio statim Titius incurrit in excommunicationem, quæ non deletur per pœnitentiam solummodò, sed per absolutionem. Et hanc opinionem tenet Lucas Floronus in suo tract. de prohibit. duelli cap. 10. §. 2.

Hoc tamen non obstante pars negatiua videtur verior: Et ratio est, quia tres actiones tantum sunt principaliter, & simpliciter prohibitæ, nempè pugna duelli: Manifesta vulgariter dicta, & prouocatoria scripta, & narrationes, & prouocationes, quæ verbis fiunt, vt probatum est in q. 5. num. 2. Aliæ verò actiones licet sint principaliter prohibitæ, non tamen sunt simpliciter prohibitæ, sed cum hac clausula (si per eos non steterit, quominùs pugna committatur, vel publicatio, aut denunciatio libelli prouocatorij, seu manifesti, vel narratio, vel prouocatio ad duellum fieret) vt demonstratum est supra in quæst. 5. nu. 8. Ergo per Summum Pontificem datur locus pœnitentiæ, antequã duellum, vel prouocatio ad duellum executioni mandetur, vel possit executioni mandari, quæ sunt

manet firma conclusio, partem negatiuam esse veriorem.

Quam conclusionem amplio procedere etiã in alijs actionibus principaliter, & simpliciter prohibitis: vt exẽpli gratia. Si Titius dedit auxilium ad manifesta vulgariter dicta, & prouocatoria scripta componenda, & publicanda, vel intimãda, si antequam publicentur, vel intimentur Titius auferat auxilium, dato, quòd posteà sequatur publicatio, vel intimatio manifesti, vel libelli prouocatorij, non debet imputari Titio, quia per eum non stetit, quominus nec publicatio, nec intimatio sequeretur: Et dum fecit, quòd debebat ad impediendũ, non debemus dicere incidisse in excommunicationem, & alias pœnas, cùm detur locus pœnitentiæ ante executionem delicti, & ipse Titius re integra sit emendatus, & correctus.

Et similiter si Titius mandatum dedisset alicui, vt aliquam narrationem, vel testificationem faceret in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo cõuenire solet ad effectum proprij, vel alieni honoris, vel famæ tuendæ, vel ledendæ &c. si antequam ille faceret dictam narrationem, vel testificationem Titius reuocasset mandatũ, dato, quòd posteà sequatur narratio, vel testificatio, non erit Titius excommunicatus, nec incurreret pœnas contra mandantes inflictas.

Amplio secundò, dictam conclusionem procedere non solùm in auxiliante, & mandante, sed etiam in instigante, fauente, suadente, scribente, dictante, & in omnibus alijs actionibus, quæ sunt ordinatæ ad illas tres principaliter, & simpliciter prohibitas per præsentem Extrauagantem, nempè ad pugnã duelli, ad manifesta vulgariter dicta, & prouocatoria scripta publicanda, vel intimanda; & ad narrationes, vel prouocationes faciendas, de quibus tractatum est supra in q. 5. nu. 2.

Quam conclusionem sic ampliatam limito non procedere in consulente, quando dissuadendo solum non posset impedire delictum, sed posset alia via, Nam in hoc casu teneretur impedire illud alia via, vt docet Innoc. in c. Ad audientiam de Homicidio, Felinus in c. sicut dignum de Homicidio nu. 14. & Bossius in sua pract. crim. tit. de Mandato ad homicidium nu. 59.; Et ratio diuersitatis inter Auxiliantem, & Consulentem est, quia sublato auxilio nihil remanet quod possit dici Auxiliator: sed reuocato consilio, semper remanet venenum 3

mali consilij in anima, & confluit ad delictum, vt docet Sayrus in lib. 10. Clauis Regiæ Tract. 2. c. 8. nu. 8.; Dixi non posset impedire delictum, quia si solum dissuadendo verisimiliter iudicaret impediuisse delictum, ad alud non teneretur; sicut dictũ est de Auxiliante, Mandante &c., & eadẽ ratione.

QVAESTIO XXX.

Cæsar mandauit Caio, vt duellum committeret cum Seio, vel prouocaret Seium ad duellum, sed postea, antequam duellum esset commissum, vel prouocatio esset facta, penituit, se dedisse hoc mandatum, & contritionem habens de peccato commisso diligentiam adhibuit ad reuocandum mandatum, & impediendum duellum, vel prouocationem ad illud: tamen diligentia nihil profuit, quia non potuit reuocare mandatum, sed secutum est duellum, vel secuta est prouocatio ad duellum: Quæritur nunc, An Cęsar sit excommunicatus, & inciderit in pœnas contra mandantes inflictas?

SVMMARIVM.

Excommunicatio maior non incurritur nisi ob peccatum mortale. num. 1.

Mandato ad duellandum, vel prouocandum ad duellum dato, si postea reuocetur tempore inhabili ad impediendum delictum, mandans non excusatur ab excommunicatione, & alys pœnis contra mandantes latis. num. 2.



CIRCA hanc quæstionem duæ possunt esse opiniones; Prima potest esse, Cęsarem non incidisse, quæ probari potest.

1 Primò, quia excommunicatio maior incurri non potest absq; peccato mortali. c. Nemo Episcoporum, &c. nullus 11. q. 3. & Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de reformat. Sed Cæsar tempore duelli per contritionẽ iam erat in gratia, & per consequens sine peccato mortali; Ergo in excommunicationem non incidit saltem quoad forum conscientiæ.

Secun-

Secundò, si duellum non esset commissum, vel prouocatio ad duellum, nō esset facta, & per Cæsarem non stetisset, quominùs esset commissum duellum, vel prouocatio esset facta, iam incidisset excommunicationē, & alias pęnas; vt patet ex supradictis in q. 5. num 8. Ergo similiter e contra, cùm per eū non stetit, quominùs reuocaretur mandatū, & impediretur duellum, vel prouocatio ad illud; sequitur, quòd non sit excommunicatus, nec inciderit in alias pęnas.

Altera verò opinio, quæ probabilior videtur, potest esse, 2
Cœsarem incidisse in excommunicationem, & in alias pęnas contra mandantes inflictas, non obstante pœnitentia, & diligentia facta ad reuocandum mandatum.

Et pro intelligentia huius opinionis recolendum est, quod dixi in quæst. 5. num. 8. nempe quod ista actio est principaliter prohibita, non tamen simpliciter, sed cum conditione si per eum non steterit, quominùs duellum committatur, vel prouocatio ad duellum sequatur: Vnde licet tempore mandati statim non incidat mandatarius in excommunicationē, & alias pœnas, tamen ad illas incurrendas non requirit actus consummatus, sed sufficit, vt per eum non stet, quominùs mandatum executioni mandetur.

Nunc probatur ista opinio. In illo puncto, in quo Cœsar factus est impotens ad reuocandum mandatum, & impediendum delictum iam perseuerabat in peccato: Ergo tunc incidit in excommunicationem, & alias pœnas, siue mandatum sit postea executioni mandatum, siue non: quia in illo puncto per se non stetit, quo minùs mandatum exequeretur, & sic adimpleta est conditio, cum qua ista actio fuit principaliter prohibita. Et huic opinioni fauet doctrina Suarez tomo 5. de Irregularitate, disp. 44. sect. 3. n. 13. versic. Procederet autem.

Nec obstant in contrarium adducta: Non primū, quia Cęsar non incidit in excommunicationem, & alias pęnas tempore, quo fuit commissum duellum, vel facta fuit prouocatio, sed tempore quo adimpleta fuit conditio, nempe tempore, quo factus fuit impotens ad reuocandum, & impediendum: & sic in illo tempore erat in peccato mortali.

Ad secundum negatur consequentia, & ratio negationis

est, quia illa diligentia ad reuocandum mandatum, & impediendum delictum, non fuit facta tempore habili, quia in illo tempore Cæsariam incurrerat in excommunicationem, & alias pœnas, & sic frustratoria fuit.

QVAESTIO XXXI.

Sempronius ratam habuit prouocationem ad duellum à Titio eius nomine (absque tamen suo mandato) Caio factam quæritur, an inciderit Sempronius in pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas.

SVMMARIVM.

In pœnis stricta debet fieri interpretatio. nu. 1.

Ex sola ratihabitione homicidij ab alio commisso suo nomine non contrahitur irregularitas secundum opinionem multorum Doctorum. num. 2.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. nu. 3.


Ratam habens prouocationem ad duellum eius nomine factam (etiam absque mandato) incidit in pœnas contra prouocantes inflictas. num. 4.

Secus verò si eius nomine non esset facta. nu. 6.

Idem procedit in ratihabitione tacita. nu. 5.

Ratam habens prouocationem ad duellum, sed non quod nomine suo sit facta, non incidit in pœnas contra duellantes inflictas. numero 7.

Pœna positiuæ legis per ratihabitionem retrotrahitur ad tempus commissi delicti, secus verò pœna excommunicationis, & interdicti. num. 8.



Væ possunt esse opiniones in hac quæstione, vna negatiua, altera affirmatiua.

Pro parte negatiua primò adduci potest, quòd in iuribus contra duellantes inflictis nulla mentio fit de ratum habentibus, & quando vult legislator ratum habentes comprehendere, id exprimit, vt factum est à S. D. N. Papa Paulo

Paulo V. in cap. 11. suæ Bullæ Cœnæ Domini: Ergo cùm in istis iuribus non exprimantur, sequitur, quòd non comprehendantur.

Secundò, pœnæ statutæ contra delictum verum, extendi non debent contra delictum fictitium. Quia in pœnis stricta debet fieri interpretatio cap. in pœnis de reg. iur. in 6. Sed ratihabitio ista æquiparatur mandato fictione iuris: Ergo pœnas, quæ contra mandantes verè sunt statutæ, non debemus extendere contra mandantes fictione iuris. 1

Tertiò, ex sola ratihabitione homicidij ab alio commissi suo nomine non contrahitur irregularitas secundum opinionem multorum DD. quos refert, & sequitur Sayrus de censur. ecclesi. lib. 7. cap. 4. num. 17. Ergo non semper ratihabitio æquiparatur mandato. Et hanc opinionem tenet Lucas Floronus in tract. de prohibit. duelli, cap. 14. §. 3. 2

Pro parte verò affirmatiua est hæc regula in de reg. iur. in 6. Ratihabit. retrotrahi, & mandato non est dubium comparari: Sed si Sempronius mandasset Titio, vt eius nomine prouocaret Caium ad duellum, facta prouocatione, incidisset in excommunicationem, & pœnas contra prouocantes inflictas: Ergo & similiter incidit, dum ratam habuit dictã prouocationem nomine suo factam. 3

Secundò, pro ista opinione facit tex. in l. 1. §. deiecisse. versicu. sed & si quid. ff. de vi, & vi armata ibi, *Rectiùs enim dicitur in maleficijs ratihabitionem mandato comparari*. Et confirmatur ex c. cùm quis de sent. excommu. in 6. vbi ratam habens percussionem factam Clerico absque suo mandato, sed suo nomine, declaratur, incidere in excommunicationem à Canone latam.

Tertiò, accedit auctoritas Doctorum, qui docent, quod in delictis ratificatio habet vim mandati. Ita gloss in l. 1. §. deiecisse. in verb. mandato. ff. de vi, & vi armata. Sayrus in lib. 10. Clauis Regiæ tractatu 2. cap. 9. num. 2. in fin. Farinacius in sua practica criminali tomo 1. de delict. & pœnis q. 24. nu. 139. & Aegid. Bossius in sua practica crimina. tit. de mandato ad homicidium. num. 8. & 9. vbi dicit, quod lex loquens in casu nostro habet etiam locum in casu ficto, vt docet etiã

Alexand. in consil. 82. col. 2. & 3. versi. sed fideicommissarius, & ver. vnde succedunt vol. 1.

In contrarium verò adducta non obstant, & ad primum
1 dico, quòd sufficit, vt facta sit mentio de mandante; nam ratihabitio mandato comparatur: Et ad Bullam Cęnæ Domini dico, quòd fuit id expressum ad maiorem declarationem.

Ad secundum, respondeo ad maiorem, quòd extensio est facta à iure in maleficijs, vt patet ex secunda ratione pro parte affirmatiua: Et in hoc casu dictæ Constitutiones habent
2 locum etiam in casu ficto, vt patet ex doctrina Alexandri, & Bossij superiùs allegatis.

Ad tertium dico, quòd multi DD. quos refert Sayrus ibidem docent oppositum, nempe quod incurratur irregularitas per ratihabitionem: sed quicquid sit de ista quæstione dico, quod est speciale in irregularitate, vt non incurratur, nisi
3 sit in iure expressa, vt docet idem Sayrus ibid. & habetur in c. is qui. de sent. excommun. in 6. Præterea ad irregularitatē incurrendam necessaria est actualis culpa homicidij, vt in c. si aliquis de homicidio.

4 Vnde reiectis contrarijs clarè apparet, partem affirmatiuam esse veriorem, nempe Sempronium per ratihabitionem incidisse in excommunicationem, & alias pęnas contra prouocantes inflictas.

Quam conclusionem Amplio primo in illo, qui ratam habet narrationem, testificationem, vel declarationem nomine suo factam in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet, sub prætextu proprium, vel alienum honorem, aut famam more militari, atque, vt vulgo dicitur, Caualeresco, tuendi, aut lædendi, siue ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut iniuriæ probationem &c.

Amplio secundò, procedere contra illos, qui rata habent fides, seu manifesta suo nomine facta, vt publicata, vel intimata (quę licet sint sine expressa prouocatione ad certamen, sunt tamen quasi præparatoria quædam ad duellum, vel ad libellos prouocatorios) & multò magis prouocatoria scripta suo eodem nomine facta, & publicata, vel intimata.

5 Amplio tertiò, habere locum etiam in ratihabitione taci-

ta(dicitur enim ratihabitio tacita, cùm non reuocat postquā scit, quòd est factum nomine eius, aut non contradicit) quæ sufficit in maleficijs, secus autem in non maleficijs. Ita docet Syl. in verbo consensus. §. 5. versic. Sed oportet &c.

Quam conclusionem sic ampliatam limito primò non 6
habere locum, quando prouocatio ad duellum facta à Titio non esset facta nomine Sempronij, id est contemplatione Sempronij, vt docet glos. in cap. cùm quis in verb. tuo nomine de sent. excommu. in 6. & glo. in l. 1. §. deiecisse in verb. ratum ff. de vi, & vi armata. Et ratio est, quia ratum habere nequit quis, quod eius nomine non est gestum: & per illam materialem ratihabitionem non incidisset Sempronius in excommunicationem, & alias pœnas, licet mortaliter peccasset, vt clarè habetur in d. c. cum quis de sentent. excommun. in 6.

Limitò secundò, non procedere, quando quis haberet ratam prouocationem ad duellum, sed non haberet ratū quòd esset facta nomine suo: Nam potest quis habere ratum factum, sed non qualitatem eius, scilicet vt sit facta nomine eius. l. Pomponius ff. de negot. gestis. Sylu. in verb. consensus §. 5. versic. secundò oportet &c. & glos. in l. 1. §. deiecisse, in verb. ratum ff. de vi, & vi armata.

Limito tertiò, non haberé locum in ratihabitione tacita, quando esset facta eo tempore, quo esset frustratoria reuocatio: Vt exempli gratia; Titius nomine Sempronij prouocauit Caium, ipse autem Sempronius cùm scit factam esse prouocationem suo nomine, scit etiam Caium post prouocationem acceptatam esse mortuum, ac proinde licet Sem- 7
pronius animo ratam habeat dictam prouocationem, tamen si reuocatio eo tempore, facta esset, quo Caius erat timor tuus, fuisset frustratoria, in hoc casu licet Sempronius peccet, non tamen incidit in censuras, & pęnas contra prouocantes ad duellum inflictas.

Pro complemento huius quæstionis est sciendum, quòd licet pœna positiuæ legis per ratihabitionem delicti retrotrahatur ad tempus commissi delicti, vt docet Sayrus in lib. 10. Clauis Regiæ tract. 2. cap. 9. num. 2. in fin., tamen pęna excōmunicationis

municationis,& interdicti nō retrotrahitur, sed incurritur à tempore, quo ratum habuit: ita docet gloss. in cap. cum quis in verb. incurris de sent. excom. in 6.

QVAESTIO XXXII.

Si consilium, vel mandatum datum in caussa duelli non sit efficax, Quaeritur an Consulens, vel mandans incidat in excōmunicationē,& alias pœnas cōtra duellātes inflictas?

SVMMARIVM.

Consilium, vel mandatum quando dicatur efficax. nu. 1.
Consilium, vel mandatum non requiritur, vt sit efficax ad incurrendas pœnas praesentis Constitutionis. nu. 2.
Consulens tunc punitur eadem pœna cum delinquente, quando ille, cui auxilium dedit, non erat aliàs delictum ipse commissurus: quomodo hoc intelligatur, habetur nu. 3. & 5.
Consilium, vel fauorem dantes, vel mandantes, quando excommunicantur in aliqua lege, nunquam incurrunt dictam excommunicationem, nisi sequatur talis effectus, pro quo consuluerūt, vel mandauerunt, quomodo intelligatur, habetur nu. 4. & 6.
Quod dictum est de consulente, & mandante, idem dicendum est de instigante, iubente &c. num. 7.
Verba generaliter, & simpliciter dicta sunt generaliter, & simpliciter intelligenda. nu. 8.

1 TVnc consilium, vel mandatum dicitur efficax, quando operatur ad delictum consultum, vel mandatum,& reipsa est secutum delictum: Nā si nihil operatur dato, quòd postea sequatur delictum, non ex illo consilio, vel mandato dato, sed ex alia causa, vel quia ille omnino erat facturus, non dicitur efficax, sed simplex: Et similiter dato, quòd consilium, vel mandatum ex se sit efficax ad causandum illud delictū, tamen si cum effectu delictum non sequatur, non dicetur efficax, sed simplex: quia nihil operatus est, & efficacia impor-

at executionem finis: & consilium, vel mandatum, quod nos efficax appellamus, alij appellant dolosum, vt Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 53. in fin. & alij.

Nunc respondendo ad quæsitum dico, quòd non est necesse, vt consilium, vel mandatum sit efficax ad hoc, vt consulentes, vel mandantes incidant in excommunicationem, & alias pœnas contra duellantes inflictas: quia etiam non secuto effectu delicti potest consulens, vel mandans incurrere dictas pœnas: vt exempli gratia; Si Titius mandat filio suo, vt prouocet ad duellum Sempronium, & ille non vult hoc facere, Titius incurrit in excommunicationem, & alias pœnas etiam non secuta prouocatione, quia per eũ non stetit, quominùs sequeretur. Hoc clarè patet ex præsenti Constitutione Clem. VIII. vers. quivè alijs &c. ibi, *Quivè in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnã proximus, neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quo minùs publicatio, aut denunciatio fieret; nihilominus censuris, & pœnis omnibus subiacere volumus &c.* Ecce quod punitur consilium, & mandatum etiam non secuto delicto cõsulto, vel mandato: Et per consequens ad incurrendam pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas, non requiritur, vt sit efficax, seu dolosum, sed sufficit, quòd sit simplex, & per eum (scilicet consulentem, vel mandantem) non stet quominus sequatur delictum, vt probatum est in quæstione 5. conclus. 2. nu. 8. 2

Sed contra supradictam Conclusionẽ videtur primò obstare communis doctrina Doctorum, quam refert, & sequitur Iulius Clarus in sua practica crim. §. fi. quæst. 88. in princ. dicentium, tunc consulentem esse puniendum eadem pœna 3 cum delinquente, quando ille, cui consilium dedit non erat aliàs delictum ipsum commissurus: At quando nihilominus erat patraturus delictum non esse pari pęna cum delinquente puniendum, sed mitiori. Et sic quando consulens operatur ad delictum, tunc debet puniri eadem pœna, quia est efficax

consi-

consilium; secus verò quando non operatur.

Secundò, quando excommunicantur dantes consilium, vel fauorem, mandantes &c. nunquam sunt excommuni-
4 cati, nisi sequatur talis effectus, pro quo consuluerunt, mandauerunt &c. vt docet Bartholo. Fumus in sua Summa Armilla verb. excommunicatio. num. 3.

5 Sed respondetur ad primum, supradictam doctrinam esse intelligendam, quando consilium non principaliter, sed accessoriè est prohibitum, tunc enim requiritur, quòd sit efficax consilium, & ad maleficium operetur ad hoc, vt consulens puniri possit eadem pœna: Sed in casu nostro est principaliter prohibitum, licet non simpliciter, sed sub illa conditione, si per eum non steterit quominus delictum sequatur: & ideo punitur eadem pena, etiam quod non sit efficax, & nihil operetur ad delictũ dũmodo per eũ non steterit, quominùs sequatur. Ita docet Nauar. in Man. c. 27. num. 53. per tex. in cap. 2. de homicid. in 6. & Clem. cupiens. §. 1. de pœnis.

Ad secundum eodem modo responderi poterit, Vel dici
6 potest, quòd illa doctrina est vera regulariter, quando contrarium non est in lege statutum, sicut est in casu nostro, in quo Summus Pontifex vult, vt subiaceant eisdem censuris, & penis consulentes, mandantes &c. etiã non secuto effectu, vt ex verbis supra allegatis dictæ Constitutionis clarè cõstat.

Vnde remanet firma Conclusio supradicta, quam

7 Amplio primò, ex identitate rationis, etiam in alijs actionibus ordinatis ad illas tres actiones principaliter, & simpliciter prohibitas exequendas, de quibus facta est mentio supra in q. 5. concl. 2. num. 8. vt in iussione, instigatione, commeatum præstare, arma commodare &c. quæ licet non sint efficaces, id est, nihil operentur ad delictum, vel quia sine illis erat omnino facturus, vel quia non est sequutum delictum, tamen illas facientes incurrunt pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas, si per eos non steterit, quominus sequeretur delictum.

Amplio secundò, supradictam conclusionem, vt procedat siue consilium, vel mandatum sit immediatè, vel mediatè datum; & similiter siue directè, siue indirectè sit datum: Patet

tet ex verbis supra allegatis præsentis Cõstitutionis, ibi; Quiue in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint: Quæ verba cùm sint generalia, & simpliciter dicta ita generaliter, & simpliciter absque distinct. sunt intelligẽda c. solita. §. fi. de maior. & obed. l. præses. ff. de offic. Præsidis.

QVAESTIO XXXIII.

Titius consuluit Sempronio, vt prouocatorium libellum, qui cartellus dicitur, affigeret contra Seium; postea re integra, multis rationibus dissuasit dicto Sempronio, ne aliquo pacto affigeret: Quæritur, Si Sempronius hac dissuasione non obstante affigat cartellum, an Titius incurrat pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas?

SVMMARIVM.

Consilium datum ad furtum committendum si fuerit reuocatum, & postea furetur, fur motus ex primo consilio, tenetur consulẽs restituere damnum illatum. nu. 1.

Consilium datum ad prouocatorium cartellum affigendum, si postea reuocetur, & reuocatione non obstante fuerit affixum, consulens non incurrit pœnam excommunicationis, & alias pœnas contra duellantes inflictas. nu. 2.

Obligatio delinquentis ad pœnam oritur ex culpa delicti. nu. 3.

Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur num. 4.



ISSVASIO facta à Titio vel fuit talis, quæ mutauerit voluntatem Sempronij, vt postea aliunde motus prouocatorium libellum affixerit: Vel non obstante dissuasione motus adhuc ex priori consilio cartellum affixit: Si primo modo, Titius nullam incurrit pœnam: si secundo modo, dubium est: Et prima facie videtur dicendum, quòd incurrat dictas pœnas, quia verè fuit causa

causa dicti delicti, & veneno sui consilij voluntatem Sempronij infecit: vnde non satis est, vt reuocarit cōsilium, nisi omnino à libello, seu cartello affigēdo remoueat: sicut qui consi-
1 lium dedit ad furandum, & antequam furtum esset commissum, reuocauit consilium, rationibus dissuadendo illud: Si postea furetur fur motus ex primo consilio, tenetur consulens restituere damnum illatum, vt docet Sayrus in lib. 10. Clauis Regiæ tract. 2. c. 8. nu. 8.

Oppositum tamen verius mihi videtur, nempe non incur-
2 rere dictas pœnas: probatur primò, quia excommunicatio non incurritur absque peccato mortali cap. nemo Episcoporum, & ca. nullus 11. quæst. 3. Sed Titius re integra reuocando consilium, & dissuadendo delictum emendauit culpam suam: Ergo præsumitur esse sine peccato, & per consequens nullam incurrere excommunicationem.

3 Secundò, obligatio delinquentis ad pœnam oritur ex culpa delicti: Sed Titius in casu nostro non habet culpam ex delicto commisso à Sempronio: Ergo nulla pęna puniri poterit. Maior est clara: Minor probatur.

4 Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur c. 1. extra de reg. iur. Sed culpa contracta à Titio fuit ex consilio dato Sempronio. Ergo per dissuasionem factam eidem est dissoluta: nam dissoluto cōsilio est dissoluta culpa.

Tertiò, Summus Pontifex in præsenti Constitutione excommunicat, & punit consulentem etiam non secuto delicto, super quo datum est consilium, si per consulentem non steterit, quominus sequeretur: Ergo è contrario quando per consulentem non stetit, quominùs impediretur delictum, etiam illo secuto ex voluntate ipsius Sempronij non debet puniri.

Nec in contrarium adducta obstant, nam respondetur, quòd nemo tenetur vltra id, quod potest: Sed Titius dissuadendo Sempronium fecit quicquid potuit: Ergo ad nihil aliud tenetur; Fateor tamen, quòd si Titius non posset dissuadendo solum impedire delictum, sed posset alia via, teneretur impedire illa alia via: Nam volens exonerare conscientiam suam de malo consilio nondum adimpleto, non solùm tene-

tur

tur dissuadere, ne id fiat, sed etiam prudenter notificare illi contra quem dirigitur, vt caueat. Ita docet Inno. in c. ad audientiam de homicid. Felin. in c. sicut dignum de homicid. num. 14. Speculator, Baldus, & Salicetus, quos ipse refert, & Bossius in sua practica criminali tit. de mādato ad homicid. num. 59. Et ad simile de illo, qui dedit consilium ad furandū, Respondetur, quòd est differentia, quando tractatur de restitutione damni illati, & quando tractatur de excommunicatione, & de alia pœna imponenda: Nam restitutio damni incurritur ex culpa præcedenti, etiam emendata, Sed excommunicatio non incurritur ex peccato deleto, nec etiam aliæ pœnæ imponuntur ex peccato emendato ante commissionem delicti consulti.

QVAESTIO XXXIV.

Vendentes arma duellantibus quæritur, an incidant in excommunicationem, & alias pęnas contra duellantes inflictas?

SVMMARIVM.

Scienter vendentes arma duellantibus incidunt in pœnas contra duellantes inflictas eodem pacto, quo auxiliantes. nu. 1.

Resolutiuè respondendo quæstioni propositæ, dico, vel venditor certè, vel probabiliter scit, vel credit, vel dubitat, velle emptorem illis vti ad pugnandum in duello; Vel non scit, nec credit, nec probabiliter dubitat: Si primum, peccat mortaliter, & incidit in pœnas præsentis Bullæ Clem. VIII. eodem pacto, quo auxiliantes, vel fauorem præstantes &c. 1
quia auxilium prębet duellantibus vendendo: Si secundum non incidit dato, quòd postea ad duellum vtatur: Et ratio est, quia cum rebus bene, & malè possint vti emptores, tunc peccat venditor quando certè, vel probabiliter scit, vel dubitat, vel credit, vel præsumere debet velle emptorem vti ad malum

malum vſum, vt docet Syl. in verb. arſ. §. 4. verſic. ſed tu dic. Tabiena eodem verb. nu. 3. & Summa Angelica eod. verb. num. 2.

QVAESTIO XXXV.

De induſtria, & ex compoſito ſpectatores nunquid erunt excommunicati, & incurrent pęnas contra duellantes inflictas non ſecuta pugna, nec actu ad pugnam proximo.

SVMMARIVM.

Regulariter non punitur affectus niſi ſecuto effectu. nu. 1.
Spectatores ex compoſito incurrunt pœnas contra duellantes inflictas etiam non ſecuta pugna. num. 2.
Verba dubia capiunt intellectum à præcedentibus, & ſequentibus. num. 3.

HOC quæſitum prima fronte ridiculum videtur, quia ſi pugna non eſt ſecuta, non poſſunt dici ſpectatores: Sed aduertendum eſt, quod poterit fieri prouocatio ad duellum cum hoc pacto, vt pugna fiat tali tempore, & loco, & coram Titio, & Sempronio acceptante ipſo Titio, & Sempronio velle eſſe præſentes pugnę: & in hoc caſu licet pugna non ſequatur, Titius & Sempronius poſſunt dici ex compoſito, & de induſtria ſpectatores, quia data opera volebant eſſe ſpectatores duelli.

Præterea indici poteſt duellum committendum inter duos publicè, vel priuatim, in ſtatuto loco, & tempore, Sempronius & Titius de induſtria, & ex compoſito ad videndum vadant ad locum deſignatum pro duello committendo, ſed de facto pugna non eſt ſecuta: In his & ſimilibus caſibus poterit habere locum quæſitum.

Et prima fronte videtur dicendum, quod non;

Primò, quia dum pugna non ſequitur, non poſſunt dici ſpectatores.

Secun-

Secundò, per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ, puniuntur ſpectatores, & aſtantes: & nullam mentionem facit de pugna, ſi ſequatur, vel non ſequatur: Et regulariter non punitur affectus, niſi ſequatur effectus. c. cogitationis. extra de pœnis. l. qui falſam monetam. ff. de falſis. 1

Tertiò, in præſenti Bulla Clem. VIII. in verſ. quive alijs &c. multæ actiones prohibentur, & puniuntur etiam effectu non ſecuto, vel actu ad pugnam proximo, & tamen ibi nulla fit mentio de ſpectatoribus: In ſequenti poſtea verſiculo quinimo de nouo &c. mentionem facit de ſpectatoribus, & nullam mentionem fecit de effectu non ſecuto: Ergo ſignũ eſt, quod nolebat punire ſpectatores niſi ſecuta pugna.

Oppoſitum tamen mihi verius videtur: Et per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. clarum eſt, quod etiã non ſecuto effectu pugnæ ex compoſito ſpectatores incurrunt in excommunicationem, ſi duellantes ad locum deſtinatum acceſſerũt pugnaturi, & impediti pugnam non commiſerũt, ſi per eos non ſteterit, quominus illam committerent. 2

Deinde præſentem Bullam Clem. VIII. de induſtria ſpectatores connumerantur inter prouocantes, conſilium, opẽ, vel fauorem præſtantes, delicti ſocios, patrinos, & alios &c. vt patet in verſic. quinimo de nouo. ibi, *Huiuſmodi delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores &c.*

Sed huiuſmodi, nempe prouocantes, opem, conſilium, vel fauorem præſtantes, delicti ſocij, patrini, &c. incurrunt in dictam excommunicationem, & pœnas, etiam non ſecuto actu pugnæ, nec actu ad pugnam proximo, vt patet ex eadem Bulla Clemen. VIII. verſ. quive alijs &c. ibi, *Quive in præmiſſis, vel eorum aliquo quomodolibet immiſcuerint, etiam ſi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus ſubſecutus fuerit:* Ergo etiam de induſtria, vel ex compoſito ſpectatores incurrunt.

Et confirmatur, quia verba dubia capiunt intellectum à præcedentibus, & ſequentibus. l. ſi ſeruus plurium. & l. quæ filiabus. ff. de legatis 1. 3

Nec in contrarium adducta obſtant; Nam ad primum reſpondetur, quòd eo ipſo quod vadant ad locum deſtinatum

pugnæ animo videndi pugnam, vel acceptant velle esse spectatores, dicuntur impropriè spectatores, idest parati ad videndam pugnam, & ista actio est prohibita, & punita à dictis Bullis dato, quòd pugna non sequatur, & ideo sufficit ad incurrendam excommunicationem, & pœnas.

Ad secundum respondetur, quòd non est nouum, vt vna lex per aliam declaretur, sicut etiam & vna pars legis per aliã declaratur. l. in ciuile est. ff. de legib. l. vtrũ. vbi Bart. in princ. ff. de petitione hæredit. & Bulla Pij IV. in hoc casu declaratur, & ampliatur per Bullam Greg. XIII. & Clem. VIII.

Ad tertium patet responsio ex ratione allata pro parte affirmatiua, ibi; Deinde per presentem Bullam &c. & eius confirmatione.

QVAESTIO XXXVI.

Quibus pœnis afficiantur Ciuitates, Terræ, Castra, & alia loca, in quorum territorijs duellum est commissum.

SVMMARIVM.

Ciuitates, & terræ, in quibus committitur duellum, supponuntur Ecclesiastico interdicto. nu. 1.

Duellum attentatum, & non consummatum non sufficit ad incurrendum supradictam pœnam interdicti. nu. 2.

Interdictum, quo supponuntur Ciuitates, & Terræ propter duellum, erit generale, & locale. nu. 3.

Interdictum loci habet hanc vim, vt interdicto loco interdicti censeantur homines in ordine ad illum locum tantùm. nu. 4.

Interdicto loco interdicti intelliguntur Ciues, & habitatores, qui culpabiles sunt, & caussam interdicto dederunt. nu. 5.

Quibus pœnis afficiantur Domini, Magistratus, vel Senatus, qui duellum in Ciuitate fieri permiserunt. nu. 6.

Interdicta ciuitate, vel. loco, an intelligantur interdicta suburbia. num. 7.

In odiosis quotiescunque si non fieret lata interpretatio constitutio esset frustratoria, semper faciẽda est lata interpretatio. nu. 8.

M CI-


IVITATES, Terræ, Castra, & alia loca, in 1
quorum territorijs duellum publicum, seu so- 2
lemne, & priuatum scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tollerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admissum fuerit, ipso facto supponuntur Ecclesiastico interdicto, cuius relaxatio Summo Pontifici est reseruata per Clement. VIII. in fine præsentis Constitutionis, versic. ipsas verò Ciuitates &c. & per Concil. Trid. in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformat. priuantur dominio, & iurisdictione loci, in quo duellum fieri permiserint: Quæ pœnæ locum habent: Primò non solùm in locis mediatè, & immediatè subiectis S. Rom. Ecclesiæ; sed etiam in alijs ei non subiectis, vt patet ex supradictis in quæst. 6. num. 1. versic. primò procedunt.

Secundò, locum habent dictæ pœnæ, etiamsi non singuli de vniuersitate, ac Senatu consenserint, nam sufficit, vt maior pars consentiat, quia quod à maiori parte fit, ab omnibus factum esse censetur. l. quòd maior. ff. ad municipales, & toto tit. extra, de ijs quæ fiunt à maiori parte Capituli.

Tertiò, locum habent dictæ pœnæ non solùm in Ciuitate, vel loco vbi Senatus, vel Gubernatores Ciuitatis resident, si duellum ibi factum fuerit, sed etiam in alijs locis eorum dominio, & iurisdictioni subiectis, si in illis alijs locis duellũ cõmissum fuerit, si expressè, vel tacitè permiserint, vel quantùm in eis est non prohibuerint, vt patet ex supradictis in q. 6. nu. 1. versi. octauò locum habent &c.

Quartò, locum habent dictæ pœnæ, dato quòd per eos permissum fuerit duellum ad euitandum maius malum, vel sub prætextu alicuius priuilegij, vel prauæ consuetudinis, quæ corruptela dicenda est, vt patet ex supradictis in q. 6. nu. 1. versic. decimo, & vndecimo.

Est tamen aduertendum Primò, quòd adhoc vt dictæ Ciuitates & Terræ supponantur Ecclesiastico interdicto, non sufficit, vt prouocatio tantùm facta sit in territorio, nisi sequatur duellum. Nec sufficit attentatio pugnæ, vel vt deuentum sit ad actum proximum: sed requiritur duellum consummatum per pugnam. Hoc patet ex loco præallegato præsen-

tis Constitutionis Clem. VIII. versic. ipsas verò Ciuitates
2 &c. ibi, *Admissum fuerit*: quæ verba denotant actum consummatum, & perfectum. Et hic est casus specialis in hac Bulla. Nam, personæ quæ committunt aliquam actioné prohibitam ex illis, quæ sunt ordinatæ ad illas tres actiones principaliter, & simpliciter prohibitas, (de quibus facta est mentio supra in q. 5 concl. 1 num. 2.) puniuntur etiam non secuto effectu, si per eos non steterit, quominùs sequeretur. Ciuitates verò, & Terræ non supponuntur Ecclesiastico interdicto nisi sequente effectu: Et hoc rationabiliter statutum est, nam ad interdictum ferendum non solùm requiritur culpa sed etiam grauis culpa cùm sit grauis pœna: Et ex genere suo requirit peccatum grauius, quàm sit peccatum inobedientiæ, ob quod ferri solet excommunicatio, quamuis interdictum extensiuè grauius est, quam excommunicatio, quamuis intensiuè leuius sit, vt docent communiter Doctores teste Sayro de censur. Ecclesiast. lib. 5. cap. 11. num. 2. & 3.

Præterea in interdicto generali multi innocentes cum culpabilibus interdicuntur, nam rarissimè occurrit, vt omnes, & singuli sint culpabiles, & propterea non est mirũ si ad punienDas Ciuitates, & Terras requirat Summus Pôtifex delictum consumatum, quod non requirit in puniendo singulas persõnas: Et huius opinionis est Lucas Floronus in suo tracta. de prohibit. duelli cap. 17. num. 3.

Sed dubitari posset, quid si post inceptam pugnam fuerint diuisi, vel impediti duellantes, an Ciuitas, vel Terra in hoc casu erit interdicta? Nam clarum est, quòd pugnantés incurrũt statim excommunicationem: Et breuiter respondetur, quod erit interdicta: Nam cùm peruentum est ad pugnam, commissum est duellum, quia in primo ictu potest occurrere mors, vel vulneratio, quæ fuerunt caussæ prohibitionis. Nec requiritur, vt omnino sequatur mors, vel mutilatio, vel vulneratio; nec vt ex se diuidantur, cùm hæc non sint de substãtia, duelli; sed, vt pugnent, est de substantia.

3 Secundò, est aduertendum, quod hoc interdictum erit generale, & locale; Et quamuis locus, cùm sit res quædam inanimata, non sit propriè capax censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, tamen

tamen interdictum loci habet hanc vim, vt interdicto loco 4
interdici censeantur homines in ordine ad illum locum tantùm, vt docet Nauar. in Man.c.27.num.167. Couar.in c.alma mater. de sent. excom. in 6. 2. par.1.§.1.num.6. Summa Angelica in verb. interdictum 2. in prin. & latè docet Grego. Sayrus de cens. Ecclesiast.lib.5.cap 2.num.2.3.& 4.

Et similiter interdicto loco intelliguntur interdicti ciues, 5
& habitatores, qui culpabiles sunt, & caussam interdicto dederunt, & isti etiam extra Ciuitatem, & locum interdictum, sacramenta sumere, & diuinis interesse non possunt, nec licitè in Ecclesia sepeliri, vt docent communiter Doct. & præcipuè Syl. in verb. interdictum 2.num.7.Nauar. & Sayrus in locis præallegatis: Secus verò dicendum est de alijs habitatoribus, qui culpabiles non fuerunt, quia ipsi licet interdicti censeantur in ordine ad illum locum interdictum, vt supra dixi, tamẽ interdicti non censentur extra Ciuitatem, & Castrum interdictum, & ideo extra locum illum interdictum possent sacramẽta sumere, diuina officia audire, & in sacris sepeliri. ita Sayrus vbi supra lib. 5.cap.2.nu.5.& alij superiùs allegati.

Tertiò, est aduertendum, ꝙ Domini, Magistratus, vel Senatus, 6
qui duellum fieri in eorum Ciuitate, vel loco permiserũt, vel tolerauerunt, non solùm erunt personaliter interdicti ex eo, quòd culpabiles fuerunt, & caussam interdicto dederunt, sed incurrunt etiam in alias pœnas contra duellantes, & duellum permittentes inflictas, quę habentur supra q.6.nu.1.& 3.

Etsi concesso loco ad duellandum, prouocatio tantum ad duellum sit facta, similiter incurrunt in interdictum, & alias pœnas contra duellantes inflictas, etiam non secuto duello, si per eos non steterit quominus sequeretur, vt patet ex supradictis in quæst. 5.num.8. Nec est contrarium hoc, ijs quæ supra diximus in §. Est tamen aduertendum, Quia summus Pontifex facit differentiam inter Ciuitates & Terras: & inter Magistratus, Dominos, & eos qui culpabiles fuerunt; Nam Magistratus, Domini, & culpabilis, quia puniuntur pro proprio delicto, non solum puniuntur Ecclesiastico interdicto, sed etiam excommunicatione; & alijs pœnis contra duellantes inflictis, vt supra dixi: Et sicut duellantes incurrunt in di-

ctas pœnas etiam non secuto duello, sic etiam & supradicti Magistratus Domini & c. si per eos non steterit & c. Ciuitates vero & Terræ quia nō puniuntur pro delicto proprio, sed pro alieno, & multi innocentes qui sunt in dicto populo, puniuntur absque culpa propria, ideo mirum videri non debet, si nō nisi secuto effectu duelli in illam pœnam incurrant.

7 Quartò, est aduertēdum, quòd interdicta Ciuitate, vel Terra intelliguntur etiam interdicta suburbia, & continentia ædificia, vt expresè habetur in c. si ciuitas. de sent. excom. in 6. & quod dictum est de Ciuitate, dicitur etiam de Castro, & villa, vt habetur in supradicto cap. & docent Sylu. in verb. interdictum 2. num. 5. Nauar. in Manuali c. 27. num. 167. & communiter Docto. teste Sayro de cens. lib. 5. cap. 3. num. 1. Et ratio, quare Summus Pontifex fecit tam latam interpretationem odiorum fuit, ne frustratoria fieret sententia interdicti, & ne suo fine, effectu, & obseruatione careret. Nam si interdicta Ciuitate suburbia interdicta non essent, possent in suburbijs celebrari omnia diuina officia, vnde posset etiam totus populus Ciuitatis in suburbijs celebrare, & ibi omnes ad diuina audienda facilè concurrerent.

Ex qua Constitutione hanc regulam colligere possumus,
8 quòd quotiescunque si non fieret lata interpretatio in odiosis, & pœnis sententia esset frustratoria, idest, nullum consequeretur effectum, semper facienda est lata interpretatio. Ita docet Sayrus de censur. Eccles. lib. 5. c. 3. num. 1. in fine. Suburbiorum enim nomine intelliguntur ædificia extra, & prope Ciuitatem, in quibus domus sunt contiguæ vna ad alteram, ita vt faciant viam vnam, vel plures. Ita Vgolinus de cens. Eccle. in genere tabula 5. c. 21. §. 1. Gem. Syl. & alij, quos refert, & sequitur Sayrus vbi supra lib. 5. cap. 3. num. 2. Continentia verò ædificia sunt domus sparsim hic, & illic prope Ciuitatem constructæ, & vrbana prædia, quæ nec vllam, nec suburbium faciunt, nec seruata contiguitate, aut ordine aliquo in diuersis locis ædificantur: Ita Sayrus vbi supra num. 3. & alij, quos ipse refert.

QVAESTIO XXXVII.

Qui possunt absoluere ab ista excommunicatione contra duellantes lata, & Interdictum relaxare extra mortis articulũ.

SVMMARIVM.

Absoluere ab excommunicatione per præsentem Constitutionem cõtra duellantes latam, & relaxare interdictum nemo potest, nisi solus Summus Pontifex, excepto articulo mortis. num. 1.

In foro conscientiæ absoluere possunt ab ista excommunicatione episcopi ex facultate eis concessa à Concilio Trid. quando casus est occultus. num. 2.

Ad reuocandam facultatem à Concilio Trid. Episcopis concessam requiritur specialis mentio de dicto Concilio. num. 3.

Pontifex quando dispensat in speciali, & certo casu contra Concilij Generalis prohibitionem, non requiritur specialis derogatio dicti Concilij. num. 4.

Absoluendi, & dispensandi facultas concessa à Concil. Trid. Episcopis se extendit ad casus occursos ante, & post Concilium. nu. 5.

Absoluere potest proprius Episcopus ab excommunicatione Summo Pontifici reseruata, etiam quando casus est publicus, & manifestus, si excommunicatus sedem apostolicam adire non poterit propter iustum impedimentum. num. 6.

A communi sententia Doctorum non est recedendum neque in iudicando, neque in consulendo absque euidenti ratione; vel textu in contrarium. num. 7.

Ab excommunicatione lata contra duellantes iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionis Greg. XIII. quando possit absoluere Episcopus. num. 8.

Excommunicatus, cuius absolutio est Summo Pontifici reseruata, & propter iustum impedimentum sedem Apostolicam adire non potest, absolui poterit ab Episcopo, quamuis procuratorem mittere possit, & non mittat. num. 9.

Episcopus potest committere nudum ministerium absoluendi alteri propter facultatem suæ dignitati à Summo Pontifice delegatam. num. 10.

Trid. in sess. 24. c. 6. sub Decreto de Reformp. 27. nu. 89. vers. linquentes sibi subditos in Diœcesi sua in te. 7. Vgolin. de cē Et ita docet Sanchez in Præceptis Decalogi lib. alij. Et hanc 27. versi. si tamen delictum occultum sit &c. delegatus à

Sed contra hoc primum dictum duo obstare vidēa, vt do-

Primò, obstare videtur clausula derogatoria præsen. stitutionis Clem. VIII. quæ est in vers. Ipsas verò Ciuitatis. &c. ibi; Etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis. &c.

Sed respondetur, quòd in dicta clausula derogatoria nulla fit mentio de Concil. Trid. & ad reuocandam dictam facultatem requiritur, vt specialis mentio fiat de illo, vt communiter docent DD. teste Couar. in lib. 4. variarum resolution. cap. 16. nume. 6. versic. Item Decretales epistolas. in fin. Emanuel Roderic. in suis quæstionibus regularibus tomo 1. q. 8. art. 10. & Sanchez de matrim. tomo 3. lib. 8. disput. 35. num. 17. & ita obseruauit Sixtus V. in sua Bulla contra Clericos malè promotos, & quotidie obseruant Pontifices in Bulla Cœnæ Domini. 5

Sed adhuc obstare videtur declaratio quædam Congregationis Illustrissimorum Cardinalium ad interpretationē Cōcilij Trid. deputatæ, quā refert Stephanus Quaranta in Summa Bullarij verb. Confessor in fin. Cùm enim Sixtus V. facultatem concessisset Patribus Congregationibus Oratorij S. Mariæ in Vallicella de Vrbe, & qui ex ipsis præuio examine ad audiendas Confessiones in ipsa Vrbe à Vicario approbati fuerint, extra eandem Vrbem absque alio examine de licentia tamen Ordinariorum locorum Confessiones liberè audire valeant, in partibus præcipue Neapolis fuit in dubium reuocatum priuilegium prædictum sub prætextu, quòd non contineat præcisam derogationem, neque mentionem faciat aliquam Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. quo cauetur, ne quis absque proprium Diœcesanorum examine audeat Confessiones audire, ideo prædicti Presbyteri Congregationis Oratorij supplices desiderant super hoc responsum, An fuerit necessaria derogatio sacri Concilij Trident.

Censuit sacra Congregatio, si huiusmodi priuilegium fue-


malum vsum, vt docet Syl. in verb. arſ. §. 4. verſic. ſed tu dic. Tabiena eodem verb. nu. 3. & Summa Angelica eod. verb. num. 2.

QVAESTIO XXXV.

De induſtria, & ex compoſito ſpectatores nunquid erunt excommunicati, & incurrent pęnas contra duellantes inflictas non ſecuta pugna, nec actu ad pugnam proximo.

SVMMARIVM.

Regulariter non punitur affectus niſi ſecuto effectu. nu. 1.
Spectatores ex compoſito incurrunt pœnas contra duellantes inflictas etiam non ſecuta pugna. num. 2.
Verba dubia capiunt intellectum à præcedentibus, & ſequentibus. num. 3.



OC quæſitum prima fronte ridiculum videtur, quia ſi pugna non eſt ſecuta, non poſſunt dici ſpectatores: Sed aduertendum eſt, quod poterit fieri prouocatio ad duellum cum hoc pacto, vt pugna fiat tali tempore, & loco, & coram Titio, & Sempronio acceptante ipſo Titio, & Sempronio velle eſſe præſentes pugnę: & in hoc caſu licet pugna non ſequatur, Titius & Sempronius poſſunt dici ex compoſito, & de induſtria ſpectatores, quia data opera volebant eſſe ſpectatores duelli.

Præterea indici poteſt duellum committendum inter duos publicè, vel priuatim, in ſtatuto loco, & tempore, Sempronius & Titius de induſtria, & ex compoſito ad videndum vadant ad locum deſignatum pro duello committendo, ſed de facto pugna non eſt ſecuta: In his & ſimilibus caſibus poterit habere locum quæſitum.

Et prima fronte videtur dicendum, quod non;

Primò, quia dum pugna non ſequitur, non poſſunt dici ſpectatores.

Secun-

Secundò, per Bullam Pij IV. quæ incipit, Ea quæ, puniuntur spectatores, & astantes: & nullam mentionem facit de pugna, si sequatur, vel non sequatur: Et regulariter non punitur affectus, nisi sequatur effectus. c. cogitationis. extra de pœnis. l. qui falsam monetam. ff. de falsis. 1

Tertiò, in præsenti Bulla Clem. VIII. in vers. quive alijs &c. multæ actiones prohibentur, & puniuntur etiam effectu non secuto, vel actu ad pugnam proximo, & tamen ibi nulla fit mentio de spectatoribus: In sequenti postea versiculo quinimo de nouo &c. mentionem facit de spectatoribus, & nullam mentionem fecit de effectu non secuto: Ergo signũ est, quod nolebat punire spectatores nisi secuta pugna.

Oppositum tamen mihi verius videtur: Et per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, Ad tollendum. clarum est, quod etiã non secuto effectu pugnæ ex composito spectatores incurrunt in excommunicationem, si duellantes ad locum destinatum accesserũt pugnaturi, & impediti pugnam non commiserũt, si per eos non steterit, quominus illam committerent. 2

Deinde præsentem Bullam Clem. VIII. de industria spectatores connumerantur inter prouocantes, consilium, opẽ, vel fauorem præstantes, delicti socios, patrinos, & alios &c. vt patet in versic. quinimo de nouo. ibi, *Huiusmodi delicti socios, de industria spectatores, patrinos, fautores, defensores &c.*

Sed huiusmodi, nempe prouocantes, opem, consilium, vel fauorem præstantes, delicti socij, patrini, &c. incurrunt in dictam excommunicationem, & pœnas, etiam non secuto actu pugnæ, nec actu ad pugnam proximo, vt patet ex eadem Bulla Clemen. VIII. vers. quive alijs &c. ibi, *Quive in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet immiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus subsecutus fuerit:* Ergo etiam de industria, vel ex composito spectatores incurrunt.

Et confirmatur, quia verba dubia capiunt intellectum à præcedentibus, & sequentibus. l. si seruus plurium. & l. quæ filiabus. ff. de legatis 1. 3

Nec in contrarium adducta obstant; Nam ad primum respondetur, quòd eo ipso quod vadant ad locum destinatum

pugnæ animo videndi pugnam, vel acceptant velle esse spectatores, dicuntur impropriè spectatores, idest parati ad videndam pugnam, & ista actio est prohibita, & punita à dictis Bullis dato, quòd pugna non sequatur, & ideo sufficit ad incurrendam excommunicationem, & pœnas.

Ad secundum respondetur, quòd non est nouum, vt vna lex per aliam declaretur, sicut etiam & vna pars legis per aliā declaratur. l. in ciuile est. ff. de legib. l. vtrū. vbi Bart. in princ. ff. de petitione hæredit. & Bulla Pij IV. in hoc casu declaratur, & ampliatur per Bullam Greg. XIII. & Clem. VIII.

Ad tertium patet responsio ex ratione allata pro parte affirmatiua, ibi; Deinde per præsentem Bullam &c. & eius confirmatione.

QVAESTIO XXXVI.

Quibus pœnis afficiantur Ciuitates, Terræ, Castra, & alia loca, in quorum territorijs duellum est commissum.

SVMMARIVM.

Ciuitates, & terræ, in quibus committitur duellum, supponuntur Ecclesiastico interdicto. nu. 1.

Duellum attentatum, & non consummatum non sufficit ad incurrendum supradictam pœnam interdicti. nu. 2.

Interdictum, quo supponuntur Ciuitates, & Terræ propter duellum, erit generale, & locale. nu. 3.

Interdictum loci habet hanc vim, vt interdicto loco interdicti censeantur homines in ordine ad illum locum tantùm. nu. 4.

Interdicto loco interdicti intelliguntur Ciues, & habitatores, qui culpabiles sunt, & caussam interdicto dederunt. nu. 5.

Quibus pœnis afficiantur Domini, Magistratus, vel Senatus, qui duellum in Ciuitate fieri permiserunt. nu. 6.

Interdicta ciuitate, vel loco, an intelligantur interdicta suburbia. num. 7.

In odiosis quotiescunque si non fieret lata interpretatio constitutio esset frustratoria, semper faciēda est lata interpretatio. nu. 8.



IVITATES, Terræ, Castra, & alia loca, in quorum territorijs duellum publicum, seu solemne, & priuatum scientibus, & tacitè, vel expresè permittentibus, aut tollerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo admissum fuerit, ipso facto supponuntur Ecclesiastico interdicto, cuius relaxatio Summo Pontifici est reseruata per Clement. VIII. in fine præsentis Constitutionis, versic. ipsas verò Ciuitates &c. & per Concil. Trid. in sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reformat. priuantur dominio, & iurisdictione loci, in quo duellum fieri permiserint: Quæ pœnæ locum habent: Primò non solùm in locis mediatè, & immediatè subiectis S. Rom. Ecclesiæ; sed etiam in alijs ei non subiectis, vt patet ex supradictis in quæst. 6. num. 1. versic. primò procedunt. 1 2

Secundò, locum habent dictæ pœnæ, etiamsi non singuli de vniuersitate, ac Senatu consenserint, nam sufficit, vt maior pars consentiat, quia quod à maiori parte fit, ab omnibus factum esse censetur. l. quòd maior. ff. ad municipales, & toto tit. extra, de ijs quæ fiunt à maiori parte Capituli.

Tertiò, locum habent dictæ pœnæ non solùm in Ciuitate, vel loco vbi Senatus, vel Gubernatores Ciuitatis resident, si duellum ibi factum fuerit, sed etiam in alijs locis eorum dominio, & iurisdictioni subiectis, si in illis alijs locis duellū cōmissum fuerit, si expresè, vel tacitè permiserint, vel quantùm in eis est non prohibuerint, vt patet ex supradictis in q. 6. nu. 1. versic. octauò locum habent &c.

Quartò, locum habent dictæ pœnæ, dato quòd per eos permissum fuerit duellum ad euitandum maius malum, vel sub prætextu alicuius priuilegij, vel prauæ consuetudinis, quæ corruptela dicenda est, vt patet ex supradictis in q. 6. nu. 1. versic. decimo, & vndecimo.

Est tamen aduertendum Primò, quòd adhoc vt dictæ Ciuitates & Terræ supponantur Ecclesiastico interdicto, non sufficit, vt prouocatio tantùm facta sit in territorio, nisi sequatur duellum. Nec sufficit attentatio pugnæ, vel vt deuentum sit ad actum proximum: sed requiritur duellum consummatum per pugnam. Hoc patet ex loco præallegato præsen-

tis Constitutionis Clem. VIII. versic. ipsas verò Ciuitates
2 &c. ibi, *Admissum fuerit*: quæ verba denotant actum consummatum, & perfectum. Et hic est casus specialis in hac Bulla. Nam, personæ quæ committunt aliquam actioné prohibitam ex illis, quæ sunt ordinatæ ad illas tres actiones principaliter, & simpliciter prohibitas, (de quibus facta est mentio supra in q. 5. concl. 1. num. 2.) puniuntur etiam non secuto effectu, si per eos non steterit, quominùs sequeretur. Ciuitates verò, & Terræ non supponuntur Ecclesiastico interdicto nisi sequente effectu: Et hoc rationabiliter statutum est, nam ad interdictum ferendum non solùm requiritur culpa sed etiam grauis culpa cùm sit grauis pœna: Et ex genere suo requirit peccatum grauius, quàm sit peccatum inobedientiæ, ob quod ferri solet excommunicatio; quamuis interdictum extensiuè grauius est, quam excommunicatio, quamuis intensiuè leuius sit, vt docent communiter Doctores teste Sayro de censur. Ecclesiast. lib. 5. cap. 11. num. 2. & 3.
Præterea in interdicto generali multi innocentes cum culpabilibus interdicuntur, nam rarissimè occurrit, vt omnes, & singuli sint culpabiles, & propterea non est mirū si ad punien das Ciuitates, & Terras requirat Summus Pótifex delictum consumatum, quod non requirit in puniendo singulas persónas: Et huius opinionis est Lucas Flotonus in suo tracta. de prohibit. duelli cap. 17. num. 3.
Sed dubitari posset, quid si post inceptam pugnam fuerint diuisi, vel impediti duellantes, an Ciuitas, vel Terra in hoc casu erit interdicta? Nam clarum est, quòd pugnantes incurrūt statim excommunicationem: Et breuiter respondetur, quod erit interdicta: Nam cùm peruentum est ad pugnam, commissum est duellum, quia in primo ictu pótest occurrere mors, vel vulneratio, quæ fuerunt caussæ prohibitionis. Nec requiritur, vt omnino sequatur mors, vel mutilatio, vel vulneratio, nec vt ex se diuidantur, cùm hæc non sint de substātia duelli; sed, vt pugnent, est de substantia.
3 Secundò, est aduertendum, quòd hoc interdictum erit generale, & locale; Et quamuis locus, cùm sit res quædam inanimata, non sit propriè capax censuræ, & pœnæ Ecclesiastieæ,
tamen

tamen interdictum loci habet hanc vim, vt interdicto loco 4
interdici censeantur homines in ordine ad illum locum tantùm, vt docet Nauar. in Man.c.27.num.167. Couar.in c.alma mater. de sent. excom. in 6. 2. par.r.§.1.num.6. Summa Angelica in verb. interdictum 2.in prin. & latè docet Grego. Sayrus de cens. Ecclesiast.lib.5.cap 2.num. 2. 3. & 4.

Et similiter interdicto loco intelliguntur interdicti ciues, 5
& habitatores, qui culpabiles sunt, & caussam interdicto dederunt, & isti etiam extra Ciuitatem, & locum interdictum, sacramenta sumere, & diuinis interesse non possunt, nec licitè in Ecclesia sepeliri, vt docent communiter Doct. & præcipuè Syl. in verb. interdictum 2.num.7. Nauar. & Sayrus in locis præallegatis: Secus verò dicendum est de alijs habitatoribus, qui culpabiles non fuerunt, quia ipsi licet interdicti censeantur in ordine ad illum locum interdictum, vt supra dixi, tamē interdicti non censentur extra Ciuitatem, & Castrum interdictum, & ideo extra locum illum interdictum possent sacramēta sumere, diuina officia audire, & in sacris sepeliri. ita Sayrus vbi supra lib. 5.cap.2.nu.5.& alij superiùs allegati.

Tertiò, est aduertendum, quod Domini, Magistratus, vel Senatus, qui duellum fieri in eorum Ciuitate, vel loco permiserūt, 6
vel tolerauerunt, non solùm erunt personaliter interdicti ex eo, quòd culpabiles fuerunt, & caussam interdicto dederunt, sed incurrunt etiam in alias pœnas contra duellantes, & duellum permittentes inflictas, quę habentur supra q.6.nu.1.& 3.

Etsi concesso loco ad duellandum, prouocatio tantum ad duellum sit facta, similiter incurrunt in interdictum, & alias pœnas contra duellantes inflictas, etiam non secuto duello, si per eos non steterit quominus sequeretur, vt patet ex supradictis in quæst. 5.num.8. Nec est contrarium hoc, ijs quæ supra diximus in §. Est tamen aduertendum, Quia summus Pontifex facit differentiam inter Ciuitates & Terras: & inter Magistratus, Dominos, & eos qui culpabiles fuerunt; Nam Magistratus, Domini, & culpabilis, quia puniuntur pro proprio delicto, non solum puniuntur Ecclesiastico interdicto, sed etiam excommunicatione; & alijs pœnis contra duellantes inflictis, vt supra dixi: Et sicut duellantes incurrunt in di-

ctas pœnas etiam non secuto duello, sic etiam & supradicti Magistratus Domini & c. si per eos non steterit & c. Ciuitates vero & Terræ quia nõ puniuntur pro delicto proprio, sed pro alieno, & multi innocentes qui sunt in dicto populo, puniuntur absque culpa propria, ideo mirum videri non debet, si nõ nisi secuto effectu duelli in illam pœnam incurrant.

7 Quartò, est aduertẽdum, quòd interdicta Ciuitate, vel Terra intelliguntur etiam interdicta suburbia, & continentia ædificia, vt expresse habetur in c. si ciuitas. de sent. excom. in 6. & quod dictum est de Ciuitate, dicitur etiam de Castro, & villa, vt habetur in supradicto cap. & docent Sylu. in verb. interdictum 2. num. 5. Nauar. in Manuali c. 27. num. 167. & communiter Docto. teste Sayro de cens. lib. 5. cap. 3. num. 1. Et ratio, quare Summus Pontifex fecit tam latam interpretationem odiorum fuit, ne frustratoria fieret sententia interdicti, & ne suo fine, effectu, & obseruatione careret. Nam si interdicta Ciuitate suburbia interdicta non essent, possent in suburbijs celebrari omnia diuina officia, vnde posset etiam totus populus Ciuitatis in suburbijs celebrare, & ibi omnes ad diuina audienda facilè concurrerent.

Ex qua Constitutione hanc regulam colligere possumus,
8 quòd quotiescunque si non fieret lata interpretatio in odiosis, & pœnis sententia esset frustratoria, idest, nullum consequeretur effectum, semper facienda est lata interpretatio. Ita docet Sayrus de censur. Eccles. lib. 5. c. 3. num. 1. in fine. Suburbiorum enim nomine intelliguntur ædificia extra, & prope Ciuitatem, in quibus domus sunt contiguæ vna ad alteram, ita vt faciant viam vnam, vel plures. Ita Vgolinus de cens. Eccle. in genere tabula 5. c. 21. §. 1. Gem. Syl. & alij, quos refert, & sequitur Sayrus vbi supra lib. 5. cap. 3. num. 2. Continentia verò ædificia sunt domus sparsim hic, & illic prope Ciuitatem constructæ, & vrbana prædia, quæ nec vllam, nec suburbium faciunt, nec seruata contiguitate, aut ordine aliquo in diuersis locis ædificantur: Ita Sayrus vbi supra num. 3. & alij, quos ipse refert.

QVAESTIO XXXVII.

Qui possunt absoluere ab ista excommunicatione contra duellantes lata, & Interdictum relaxare extra mortis articulũ.

SVMMARIVM.

Absoluere ab excommunicatione per præsentem Constitutionem cõtra duellantes latam, & relaxare interdictum nemo potest, nisi solus Summus Pontifex, excepto articulo mortis. num. 1.

In foro conscientiæ absoluere possunt ab ista excommunicatione episcopi ex facultate eis concessa à Concilio Trid. quando casus est occultus. num. 2.

Ad reuocandam facultatem à Concilio Trid. Episcopis concessam requiritur specialis mentio de dicto Concilio. num. 3.

Pontifex quando dispensat in speciali, & certo casu contra Concilij Generalis prohibitionem, non requiritur specialis derogatio dicti Concilij. num. 4.

Absoluendi, & dispensandi facultas concessa à Concil. Trid. Episcopis se extendit ad casus occursos ante, & post Concilium. nu. 5.

Absoluere potest proprius Episcopus ab excommunicatione Summo Pontifici reseruata, etiam quando casus est publicus, & manifestus, si excommunicatus sedem apostolicam adire non poterit propter iustum impedimentum. num. 6.

A communi sententia Doctorum non est recedendum neque in iudicando, neque in consulendo absque euidenti ratione, vel textu in contrarium. num. 7.

Ab excommunicatione lata contra duellantes iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionis Greg. XIII. quando possit absoluere Episcopus. num. 8.

Excommunicatus, cuius absolutio est Summo Pontifici reseruata, & propter iustum impedimentum sedem Apostolicam adire non potest, absolui poterit ab Episcopo, quanuis procuratorem mittere possit, & non mittat. num. 9.

Episcopus potest committere nudum ministerium absoluendi alteri propter facultatem suæ dignitati à Summo Pontifice delegatam. num. 10.

Excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reseruata qui propter legitimum impedimentum non potest adire sedem Apostolicam, poterit tamen adire Legatum vel alium qui habeat facultatem absoluendi ab illa excommunicatione, non poterit absolui ab Episcopo. num. 11.

Impedimenta, propter quæ poterit Episcopus Diocesanus absoluere excommunicatum causa duelli, quæ erunt. nu. 12.

Absoluere possunt Regulares ab ista excommunicatione in foro conscientiæ virtute suorum priuilegiorum: excipiuntur tamen aliqui casus. num. 13.

Priuilegia Regularibus concessa cùm propter merita concedantur, facta reuocatione generali priuilegiorum non censentur reuocata. num. 14.

In generali concessione, insolita non veniunt; nisi specialis mentio de illis facta sit. num. 15.

Priuilegiati non Regulares an possint absoluere ab excommunicatione duelli. num. 16.

Exceptio firmat regulam in casibus non exceptuatis. num. 17.

Qui in vno grauatur, in alio releuatur. num. 18.

IN hac quæstione vel loquimur de foro exteriori, vel de foro pœnitentiæ.

1 Si de foro exteriori, solus Summus Pontifex poterit ab excommunicatione absoluere, & interdictum relaxare; fallit in duobus casibus, primo in articulo mortis: secundò, si aliquis post publicationẽ præsentis Constitutionis haberet facultatem à sede Apostolica absoluendi, & relaxandi: Hoc patet ex præsenti Constitutione versic. Ipsas vero Ciuitates &c. ibi; *Cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice pænitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum.*

Si loquimur de foro pœnitentiæ, dico quatuor:

2 Primum est, quod quando casus est occultus, potest absoluere Episcopus per potestatem sibi concessam à Concilio

Trid. in sess. 24. c. 6. sub Decreto de Reform. quocunque delinquentes sibi subditos in Dioecesi sua in foro conscientiæ. Et ita docet Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 2. cap. 39. nu. 27. versi. si tamen delictum occultum sit &c.

Sed contra hoc primum dictum duo obstare videntur.

Primò, obstare videtur clausula derogatoria præsentis Cōstitutionis Clem. VIII. quæ est in vers. Ipsas verò Ciuitates &c. ibi; Etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis. &c.

Sed respondetur, quòd in dicta clausula derogatoria nulla fit mentio de Concil. Trid. & ad reuocandam dictam facultatem requiritur, vt specialis mentio fiat de illo, vt communiter docent DD. teste Couar. in lib. 4. variarum resolution. cap. 16. nume. 6. versic. Item Decretales epistolas. in fin. Emanuel Roderic. in suis quæstionibus regularibus tomo 1. q. 8. art. 10. & Sanchez de matrim. tomo 3. lib. 8. disput. 35. num. 17. & ita obseruauit Sixtus V. in sua Bulla contra Clericos malè promotos, & quotidie obseruant Pontifices in Bulla Cœnæ Domini.

Sed adhuc obstare videtur declaratio quædam Congregationis Illustrissimorum Cardinalium ad interpretationē Cōcilij Trid. deputatæ, quā refert Stephanus Quaranta in Summa Bullarij verb. Confessor in fin. Cùm enim Sixtus V. facultatem concessisset Patribus Congregationibus Oratorij S. Mariæ in Vallicella de Vrbe, & qui ex ipsis præuio examine ad audiendas Confessiones in ipsa Vrbe à Vicario approbati fuerint, extra eandem Vrbem absque alio examine de licentia tamen Ordinariorum locorum Confessiones liberè audire valeant, in partibus præcipue Neapolis fuit in dubium reuocatum priuilegium prædictum sub prætextu, quòd non contineat præcisam derogationem, neque mentiònem faciat aliquam Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. quo cauetur, ne quis absque proprium Dioecesanorum examine audeat Confessiones audire, ideo prædicti Presbyteri Congregationis Oratorij supplices desiderant super hoc responsum, An fuerit necessaria derogatio sacri Concilij Trident.

Censuit sacra Congregatio, si huiusmodi priuilegium fuerit,

rit, vt proponitur à sede Apostolica concessum, vtique omnino esse obseruandum, quamuis nullam derogationẽ, aut mẽtionem Concil. Trid. continent. Hæc ille.

Ecce quomodo nulla mentio sit facta Concil. Trid. & tamen deciditur esse reuocatum.

Sed respondetur, ꝙ licet in dicto priuilegio nõ adsit clausula specialis derogatoria dicti Concilij, sed tantũ clausula generalis; tamẽ quãdo Pontifex dispensat in speciali, & certo ca-
4 su contra Concilij Generalis prohibitionem, nõ requiritur specialis derogatio dicti Concilij, quia cũ clausula generalis prædicta nequeat vera reddi nisi in eo solo casu contra Concilij prohibitionẽ, debet hæc generica derogatio reputari pro specifica, & expressa, aliàs nullius esset momenti. Ita docet Loaces de matrim. Regis Angliæ dub. 16. num. vnico. & Iason in l. 2. ff. de lib. & posthum. vbi multa cumulat, quos refert, & sequitur Sanchez de matrim. tomo 3. lib. 8. disput. 35. nu. 10. Et hac ratione forsan adducta sacra Congregatio censuit prædictum priuilegium esset obseruandum. Vnde nihil obstat contra communẽ Doct. sententiam, & nostram Conclusionem.

5 Secundò obstare videtur contra primum dictum, quod reseruatio facta à Summo Pontifice in præsenti Constitutione, sit facta post Concil. Trid.

Sed respondetur, ꝙ cùm ista facultas sit concessa dignitati, & non personæ, & sit generalis, non distinguendo inter reseruationes præteritas, & futuras, ita generaliter debet intelligi, vt docet Nauar. in consi. 43. nu. 1. & 2. de sent. excom. & super §. in leuitico not. 34. num. 4.

Præterea mens Concilij fuit ponere regulam generalem, & quasi ordinarium ius ad beneficium animarũ: Sed eadem ratio procedit in casibus antea reseruatis, vel quocunque tempore reseruandis: Igitur idem ius esse debet.

Confirmatur etiam auctoritate Suarez, qui fauet huic parti in 3. p. D. Thom. vol. 4. disp. 30. sect. 2. nu. 12. & 13.

6 Dico secundò, quod quando excommunicatio causa duelli est publica, & ipse in excõmunicatus est impeditus, quominus sedem Apostolicam adire possit, proprius Episcopus poterit eum absoluere. cap. ea noscitur. de sent. excom. & c. eos. de

sent.

ſent.excom.in 6.& docet Nauar.in Man.cap.27.nu. 89. verſ. Ad primum verò. Syl.in verb.abſolutio 4.nu.7. Vgolin.de cẽſur. Eccle.in genere tabula 1.cap.4.§.5.nu.14.& alij. Et hanc facultatem habet Epiſcopus in iſto caſu tanquam delegatus à lege, vel potiùs ea poteſtate ordinaria à lege ſibi cõceſſa, vt docet Sanchez de matrim.tomo 1.lib.2.diſp.40.nu.3.

Sed in contrarium obſtat doctrina Innocentij in c. quãuis. verſ.Sed ſi alias.de ſent.excom.docens, ꝙ quando quis eſt excommunicatus ob percuſſionem Clerici, & ob iuſtum impedimentũ, non poteſt adire ſedẽ Apoſtolicã pro abſolutione, tunc proprius Epiſcopus poterit eũ abſoluere, vt habetur in c. de cætero.de ſent.excom.& alijs iuribus: Secus verò quando eſſet excommunicatus ob aliam cauſſam. Et probatur,

Primò, quia cùm in iure reperiatur in hoc tãtũ caſu Epiſcopo permiſſum, nempe in excõmunicatis ob percuſſionẽ Clerici, ſecus de alijs excommunicatis ſentiẽdum eſt. Nã exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptuatis. Ita Cagnolus in l.1.nu.31.ff.de reg.iur. Decius, & Glo.ibid.

Secundò, in fine præſentis Conſtitutionis Clem. VIII. non permittitur abſolutio huius excõmunicationis dari ab alio, quàm à Romano Pontifice, niſi in articulo mortis: Ergo cùm his ſolus caſus tantæ neceſſitatis ſit exceptus, non debemus extendere ad alios caſus minoris neceſſitatis.

Tertiò, idem Clem. VIII. in fine præſentis Conſtitutionis prohibet abſolutionẽ præſentis excõmunicationis, prætextu etiam quarũuis facultatum quibuſuis perſonis tam Eccleſiaſticis, quàm laicis &c. Ergo cũ generaliter loquatur, cõprehẽdit etiã prædictã facultatẽ, quã Epiſcopi prætendunt habere.

Sed communis Doctorum ſententia eſt in contrarium, à qua non eſt recedendum neque in iudicando neque in conſulendo abſque euidenti ratione, vel textu in contrariũ, & præfertur ſingulari doctrinæ, vt docet Io. Andr. in cap.1.de conſtitut. Panor.in cap.1.de ſent.& re iud. Nauar. in conſil 8. nu.6. & 7.de conſang. & affinit. & alij.

Docet enim cõmunis opinio, quòd quando quis eſt aliqua excommunicatione ligatus ſiue ob percuſſionẽ, Clerici, ſiue ob aliam cauſam, vel habet alium caſum reſeruatũ, cuius abſolutio

ſolutio ſit ſedi Apoſtolicæ reſeruata, & ipſe pœnitens ob aliquod iuſtum impedimentum non poſſet adire ſedem Apoſtolicam pro abſolutione, tunc proprius Epiſcopus poterit illum abſoluere. Ita docet Nauar.in Man cap 27.num.89.verſi.ad primam. Syl.in verb. abſolutio 4.nu.7. verſ. quarto &c. Tabiena in verb. abſolutio 2. num. 8. in ſi. Sanchez de matrim. tomo 1.lib.2.diſput.40. nu.3.prope fi. Felin.in cap. quamuis. de ſent. excom. Panorm.in cap.de cætero nu.1. verſ & circa. de ſent. excom. Anchar.in cap.eos. nu 1.verſi. Tertiò. nota. ibi, ſed hic quæritur, & Geminianus ibidem nu. 5.de ſent. excom. quos refert & ſequitur Vgolinus de cenſ. Eccleſiaſt. in genere tabula 1.cap.4.§.5.nu.13.

Et probatur etiam primò, quia nulla ratio apparet, quamobrem id in excommunicatione ob Clerici percuſſionē permittatur, & non in alijs excōmunicationibus: Ergo cùm eadem ratio in alijs ſit, idem ſtatui debet argum.cap. cùm dilecta.de confirmat. vtili, vel inutil. Et confirmatur, quoniam ſi in tam graui caſu, vbi Dei miniſtri offendūtur ab alijs permiſſum eſt, vt abſoluātur, ergo multò magis in alijs caſibus id permiſſum eſſe debet.

Secundò, iſti pœnitentes dum ob iuſtum impedimentum non poſſunt adire ſedem Apoſtolicam pro abſolutione, non debent remanere remedio deſtituti: & reſeruatio hæc cùm fiat ob charitātem, & bonam Reipublicæ gubernationem, non eſt veriſimile, quod in iſto caſu nō permittat Epiſcopis, vt poſſint abſoluere ſuos ſubditos.

Tertiò, in cap. ea noſcitur. extra de ſent. excom. hæc facultas ſimpliciter conceditur Epiſcopis in caſu iuſti impedimenti, & nulla ſit mentio de excommunicatione lata ob percuſſionem Clerici, nec ob aliam cauſam.

Quartò, probatur per tex.in cap.eos. de ſent. excom. in 6. vbi pro certo colligunt Doctores generaliter hoc conceſſum eſſe, vt excommunicatus ab alio abſoluatur, vbi quis impeditur, quo minùs abſolui poſſit, à quo de iure abſoluendus erat, ſiue ſententia ſit à iure lata, ſiue ab homine: Vnde cū tex. generaliter loquātur, debet generaliter intelligi iuxta tex. in l.1. §.generaliter.ff.de legat. præſtand.

In

In contrarium verò adducta non obstant, &

Ad primũ patet responsio in 3. & 4. ratione supra allegata.

Ad secundũ respondetur, quod illa expressa prohibitio intelligitur de alijs, non autem de Episcopo diocesano.

Ad tertium respondetur, quod illa clausula generalis non se extendit ad priuilegia in corpore iuris inserta: ita docet glo. in l. 2. §. legatis. ff. de re iudicat. verb. non compelluntur. & glo. in Auth. qua in prouincia. C. vbi de crimine agi oportet. verbo. illic omni priuilegio. in fi.

Vnde remanet firma Conclusio, quòd possit proprius Episcopus in casu iusti impedimenti, propter quod non possit pœnitens adire sedem Apostolicam pro absolutione, absoluere illum excommunicatum ex causa duelli. 8

Quam conclusionem amplio primò procedere, etiã si excõmunicatio ob crimen duelli esset iuxta Decretum Cõc. Trid. & Constitutionem Greg. XIII. & sic de quinque reseruatis iuxta Decretum Clem. VIII. propter easdem rationes. 9

Amplio secundò, procedere etiãmsi excommunicatus impeditus procuratorem mittere possit: nã nihilominus absolui poterit, quamuis procuratorem nõ mittat, quia à lege ad id non obligatur, vt docet Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 90. versi. Ad quintum &c. & Vgolin. de censur. Eccles. in genere tabula 1. cap. 4. §. 5. nu. 13. in fine.

Amplio tertiò, vt non solùm per se possit Episcopus Diocesanus dictum excommunicatum absoluere, sed etiam possit committere nudum ministerium absoluendi in aliquo casu particulari Confessario per tex. in cap. vltimo. de offic. ord. & docet gl. in cap. de cætero. in verb. licet diocesano. de sent. excom. Nauar. in Man. c. 27. nu. 45. & consi. 15. de sent. excom. Syl. in verb. absolutio 4. num. 6. Sanchez de matrim. tomo 1. lib. 2. disput. 40. à nu. 13. vsque ad fi. & alij. 10

Et ratio est quia Episcopus in dicto casu absoluit virtute iurisdictionis delegatæ à Papa, vel sibi concessæ in priuilegiũ perpetuum ratione dignitatis, vel virtute ordinariæ potestatis, vt docet Sanchez vbi supra nu. 3. in quibus casibus potest concedere alijs simplex ministerium absoluendi.

Limitatur tamen supradicta conclusio nõ procedere, quando 11

do excommunicatus, qui ad sedem Apostolicam ire nequit, propter aliquod legitimū impedimētum, posset adire legatū, vel aliū, qui habet priuilegiū absoluendi ab illa excōmunicatione; In hoc enim casu Episcopus non posset absoluere, vt docet Nauar. in Man. cap. 27. nu. 89. vers. ad quartum, & Sāchez de matrim. tomo 1. lib. 2. dispu. 40. nu. 8. Et ratio est, quia pœnitens in hoc casu non remanet remedio destitutus.

Limitatur secundò, non habere locum, quando pro certo habetur, vel probabiliter existimatur esse breuis temporis impedimentum, quia tunc non prodesset ad absolutionem obtinendam ab Episcopo: Nam pauci temporis ratio haberi non debet; ita docet Vgolinus de cens. ecclesiast. in genere, tabula 1. cap. 4. §. 5. nu. 16.

Si verò ignoraret, quamdiu permansurum esset impedimētum, vel diuturnum fore pro certo haberetur, probabiliterve existimaretur, hunc sic impeditum excommunicatione absoluere posset. Ita Vgolin. in loco præallegato.

12 Sed quæret aliquis, quæ sint supradicta legitima impedimēta, propter quæ possit Episcopus diocesanus absoluere excōmunicatum causa duelli? Respondeo, quod impedimentum dicitur canonicum, siue legitimum dupliciter.

Primò, quando à lege est expressum; secundò, quando legi est consonū, vel à lege tolerandū, quod arbitrio boni viri tūc dicitur, quando est æquale, vel maius aliquo expresso in lege: Nam vbi eadem est ratio, idem ius esse debet. l. illud. ff. ad leg. Aquil. l. à Titio. ff. de verbo. oblig. & ita etiam docet Sylu. in verb. absolutio 4. nu. 3. casu 15. & Nauar. in Man. c. 27. n. 88.

Verùm quia impedimentum potest esse perpetuum, & temporale, debent absolui sub debito iuramento, si erit temporale, vt cessante impedimento ad Apostolicam sedem accedāt, mandatum ipsius humiliter suscepturi iuxta tex. in cap. ex nobis. & cap. quamuis. de sent. excom. quòd si neglexerint adimplere cessante impedimento, reincidunt in eamdem excōmunicationem iuxta tex. in cap. eos. de sent. excom. in 6.

Si verò impedimentum erit perpetuum, absolui poterunt absque prædicto iuramēto, vt docet Syl. in verb. absolutio 4. nu. 3. col. 7. vers. quidam etiam sunt priuilegiati. &c.

Posita

Posita igitur supradicta generali regula, nõ erit inutile enumerare aliqua canonica, siue legitima impedimenta, in quibus Episcopus diocesanus absoluere potest.

Primum est senectus. cap. ea noscitur. cap. quãuis &c. quod de his. de sent. excom. & in nostro proposito senex dici potest maior 70. annorum, etiamsi sit fortis. ita Sylu. in verb. absolutio 4. nu. 3. casu 10. & Innoc. in cap. quanuis. de sent. excom. Et ratio est primò, quia periculosum est senem proficisci; secundò, quia in hac ætate excusari solent à lege à muneribus personalibus. l. fin. C. qui ætate. lib. 10.

Vel dici potest senex, qui ratione ætatis iudicio boni viri, & maximè Episcopi periculosè tale iter aggrederetur, vt docet Syl. in verb. absolutio 4. num. 3. casu 10.

Secundum est infirmitas. cap. quod de his. & c. quanuis. de sent. excom. & nõ solùm infirmitas incurabilis, vel periculosa, vel lõga, vel talis, vt ex itinere timeretur acceleratio mortis; sed etiam si non immineat periculum mortis, vt in podagra, & febre quartana, vt docet Innoc. in c. quanuis. de sent. excom. & sequitur Sylu. in verb. absolutio 4. num. 3. casu 9. Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 87. & Sayrus de cens. Ecclesiast. lib. 3. cap. 28. nu. 24.

Tertium est valetudo. cap. ea noscitur. de sent. excom. Valetudo enim distat à morbo, quia valetudo est perpetua, morbus verò est temporalis. Syl. vbi supra casu 10.

Quartum est destitutio membrorum. cap. ea noscitur. de sent. excom. vt qui est cæcus, claudus, vel alio membro impeditus, vt docet Panor. & Innoc. in d. c. & Syl. in verb. absolutio 4. nu. 3. casu 17. & Nauar. in Man. c. 27. nu. 87.

Quintum est paupertas. c. quod de his & c. quanuis, de sent. excom. quod procedit in paupere non mendicante, sed viuente ex suo artificio qui iter agendo non potest vti suo artificio, & sic prouidere sibi, & suæ familiæ non potest, nec tenetur mẽdicare si non est solitus. ita docet Nauar. in consil. 14. nu. 3. de sent. de sent. excom. & in Man. cap. 27. num. 87. & 89. vers. ad textum. Syl. in verb. absolutio 4. nu. 3. casu 8. & Sayr. de cens. Eccle. libro 3. cap. 28. num. 23.

Sextum est inimicitia capitalis. cap. quanuis. de sent. excõmun.

mun etiamsi eam habeat ex culpa sua. l. nec timore. ff. quod metus causa, & arbitrio boni viri est iudicandum, si Romam adire poterit absque periculo, vel non. Syl. in verb. absolutio 4. nu. 3. casu 4. Nauar. cap. 27. num. 87. & Sayr. de cens. Eccle. lib. 3. cap. 28. nu. 19.

Septimum est subiectio: nam personæ, quæ sui iuris non sunt, sed sub alterius potestate subduntur, vt filij familias, & serui Christiani possunt ab Episcopo absolui, non autem famuli mercenarij, per tex. in cap. mulieres. & cap. relatum. de sent. excom.

Sed aduertendum est de filio, quod procedit, quando mitti non potest ad Curiam sine præiudicio, vel displicentia Patris: quia ratio huius priuilegij est ius alienum, vt docet Sylu. in verb. absolutio 4. num. 9. versic. 7. & Sayr. de cens. Eccles. lib. 3. cap. 28. nu. 28.

Alij verò casus accidere possunt, qui arbitrio Episcopi sunt iudicandi, quando sunt legitimi, & quādo non, vt supradixi.

13. Dico tertiò, quòd Regulares, qui ex priuilegio sedis Apostolicæ suis Religionibus concesso potestatem habent absoluendi à quibuscunque peccatis, & censuris Apostolicæ sedi reseruatis (exceptis illis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continētur) siue ante, siue post præsentem Constitutionē Clem. VIII. id sit concessum, possunt absoluere à casibus, & censuris, quæ comprehenduntur in hac Constitutione, siue sint occulti, siue manifesti, in foro tantùm conscientiæ.

14. Et ratio est, quia clausula derogatoria, quæ est in præsenti Constitutione est generalis, & priuilegia Regularibus cōcessa cum propter merita concedantur facta reuocatione generali priuilegiorum non censetur reuocata, vt docet Mandos. in reg. Cancell. 11. de reuocat. q. 13. nu. 6. & seq. & Bursat. tomo 2. consiliorum, consi. 138. nu. 77. quos refert, & sequitur Emanuel Rodericus in suis quæst. Regular. tomo 1. q. 9. art. 6. in fi.

Præterea confirmatur hoc dictum tertium ex his, quæ dicentur infra in dicto 4.

Non possunt autem absoluere à casibus, & censuris latis contra prouocantes, & pugnantes in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Const. Greg. XIII. nisi ex speciali priuilegio

gio eis concesso post reseruationem factam in Decreto Congregationis Illustris. Cardinal. super negotijs Episcoporum, & Regularium, factum ex mandato Clem. VIII. die 9. mensis Ianuarij 1601. Et ratio est, quia in dicto Decreto specialiter reuocantur priuilegia Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel societatibus concessa.

Dixi ex speciali priuilegio, quia in generali concessione nō comprehenderentur, nisi specialis mentio esset facta de casibus, & censuris prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionem Gregorij XIII. contra duellantes latis: Tum quia Insolita in generali concessione non veniunt, nisi specialis mentio de illis facta sit. c. si. de offic. Vicar. lib. 6. Tum etiam quæ ex primò Decreto facto ab eadem Congregatione, supradicta die 9. Mensis Ianuarij 1601. omnino prohibetur dicta absolutio dictis Regularibus priuilegiatis, nisi in articulo mortis, vel cum noua, & speciali licentia Summi Pontificis. 15

Dico quartò, & vltimò, quòd priuilegiati, qui non sunt Regulares, & virtute suorum priuilegiorum habent facultatem absoluendi à casibus reseruatis sedi Apostolicæ (exceptis censuris in Bulla Cœnæ Domini) siue ante, siue post præsentem Constitutionem Clement. VIII. sint eis concessa, possunt absoluere à casibus, & censuris, qui comprehenduntur in hac Constitutione, siue sint occulti, siue manifesti, in foro tantùm conscientiæ, prout in eorum priuilegijs est concessum: Non tamen possunt absoluere à casibus, & censuris latis contra prouocantes, & pugnantes in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionem Gregorij XIII. nisi ex speciali priuilegio eis concesso post derogationem factam per Decretum Congregationis Illustris. Cardinalium super negocijs Episcoporum, & Regularium ex speciali mandato Clem. VIII. die 9. Mensis Ianuarij 1601. 16

Probatur Conclusio supradicta, si priuilegium absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ fuit concessum post præsentem Constitutionem duelli Clem. VIII. idest post annum 1592. xvi. Calend. Septembris, clarum est, quod possunt absoluere à casibus, & Censuris duelli, exce-

ptis prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretū Concilij Trid. & Constit. Gregorij XIII. vt patet ex Decreto Congregationis Illustriss. Cardinaliū facto ex speciali mādato Clem. VIII. die 26. mensis Nouembris 1601. in quo declarat, in prohibitione facta absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ per aliud Decretum prius factum ab eadem Congregatione, & de speciali mandato eiusdē Pontificis sub die 9. mensis Ianuarij 1601. in posterum comprehendi tantùm casus prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionem Gregorij XIII. (vltra alios casus exceptos per dictum Decretū in alijs materijs.) Ergo cùm isti tantùm casus sint excepti, & reseruati, sequitur, quòd alij non sunt excepti, neque reseruati, cùm
17 exceptio firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, vt docet glo. & Decius in l. 1. ff. de regul. iur. & ibidem Cagnol. nu. 31.

A casibus verò prouocantium, & pugnātium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constit. Gregorij XIII. non possunt absoluere virtute dicti priuilegij, nisi in articulo mortis, vel cum noua, & speciali licentia Summi Pontificis concessa post supradictum Decretum latum die 9. mensis Ianuarij 1601. quia ita expressè prohibentur in dicto Decreto.

Si verò priuilegium absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ fuisset eis concessum ante præsentē Constitutionem Clem. VIII. de duello, id est ante annum 1592. xvi. Calend. Septembris, adhuc possent absoluere à casibus, & Censuris duelli (exceptis prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitut. Greg. vt supra dixi, nisi in articulo mortis, vel noua, & speciali licentia Summi Pontificis concessa post supradictum Decretum Congregationis Illustriss. Cardinalium latum die 9. mensis Ianuarij 1601.) & ratio est, quia stante derogatione priuilegiorum facta per Clemen. VIII. in præsenti Constitutione de duello, nullus siue Regularis siue non Regularis absoluebat à casibus, & censuris duelli.

Vnde cùm per Decretum latum à Cōgregatione Illustriss. Cardinalium de speciali mandato Clementis VIII. secun-

do

do loco publicato die 26. Mensis Nouembris 1601. sit priuilegiatis restituta facultas absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ,& sint tantùm prohibiti,& reseruati casus prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretũ Concilij Trid. & Constit. Gregorij XIII. sequitur,quòd cæteri videantur concessi, quia aliàs frustratoria esset exceptio supradictorum tantùm casuum, prouocantium,& pugnantium in duello, si in alijs non exceptuatis non esset restituta facultas: Et verba debent aliquid operari.cap.si Papa. de priuileg.in 6.l.si quando. ff.de legat.1.

Sed in contrarium posset aliquis dicere, quòd dicto priuilegio erat prius derogatum per clausulam derogatoriã præsentis Constitutionis Clem. VIII.publicatam xvi. Calend. Septembris 1592. Sed per Decretum supradictum Congregationis Illustriss. Cardinalium publicatum die 26. mensis Septembris 1602. Summus Pontifex declarauit, quòd nihil de nouo intendebat concedere,sed illi tãtùm priuilegiati possent absoluere à cæteris casibus,& censuris reseruatis Sedi Apostolicæ (præter exceptos per dictum Decretum),quorum priuilegia vsu erant recepta, & quæ sub alijs reuocationibus non compræhendebantur ante dictum Decretum, ergo, cum dictum priuilegium comprahendatur sub derogatione præsentis Constitutionis Clemen. VIII. de duello, sequitur, quòd à nullo casu duelli possint absoluere; Et facultas absoluendi à casibus duelli sit tantùm restituta Regularibus, quorum priuilegijs non erat derogatum per dictam Consti. Clem. VIII. iuxta supradicta in tertiò dicto: Et sic exceptio casuum prouocantium, & pugnantium in duello non esset frustratoria: nam remanet facultas Regularibus absoluendi ab alijs casibus non exceptuatis.

Sed respondetur declarando minorem, quòd intentio Sũmi Põtificis fuit declarare in dicto Decreto intentionem suã non esse concedere de nouo facultatem generalem absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ illis, qui per prius non habebant, vel si habebant, non erant in vsu, vel erant derogata: sed illis, qui iam habebant dictam facultatem, & erat in vsu,licet, quoad auctoritatem absoluendi à

casibus, & censuris duelli esset reuocata per (præsentem Cōstitutionem Clem. VIII. & Decretum anni 1601, die 9. mēsis Ianuarij) tamen de nouo restituit illis, (exceptis à casibus prouocantium, & pugnantium tantùm in duello) tollendo illam derogationem tam factam in præsenti Constitutione, quàm in decreto anni 1601. die 9. mensis Ianuarij; Et sic fuit vsu receptum Decretum, & declaratio prædicta facta anno Domini 1602. die 26. Nouembris; consuetudo enim est optima legum interpres l. si de interpretatione. ff. de legibus. Et ratio potuit esse.

Prima, quia præsens Constitutio eiusdem Clem. VIII. de prohibitione duelli comprehendebat tot casus, vt sæpissime coacti essent pœnitentes ad sedem Apostolicam recurrere prò absolutione dictæ censuræ; Et multi qui non poterant ad Vrbem pro eius absolutione accedere, vel mittere, in Paschate non confitebantur, nec sacramentum Eucharistiæ sumebāt propter impedimentum dictæ excommunicationis: Vnde ad salutem animarum credendum est, voluisse tollere derogationem dictæ Bullæ & restituere facultatem dictis priuilegiatis absoluendi à dictis casibus, & censuris reseruando tantùm sibi præcipuos casus, nempe prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concil. Triden. & Constitutionis Greg. XIII.

Secunda ratio potuit esse, quia cùm quodammodo grauasset dictos priuilegiatos tollendo eis facultatem absoluendi à multis casibus, à quibus ante Decretum factum à Congregatione Illustriss. Cardinalium ex speciali mandato eiusdem
18 Clem. VIII. die 9. mensis Ianuarij 1601. poterant absoluere, voluit in hoc releuare (iuxta regulā iuris, Vt qui in vno grauatur, in alio releuetur, secundum naturam. ff. de regul. iur.) tollendo derogationem factam in dicta Constitutione duelli eiusdem Clement.

Tertia ratio potuit esse, quia ante Decretum Illustriss. Cardinalium latum de speciali mandato eiusdem Clem. VIII. die 9. mensis Ianuarij 1601. in quo fuerunt suspensa, vel potiùs derogata dicta priuilegia, nullus etiam Regularis absoluebat à casibus, & censuris duelli; Tum quia putabant omnibus

nibus priuilegijs fuisse derogatum per illam clausulam derogatoriam in fine præsentis Constitutionis de duello eiusdem Clement. VIII. positam: Tum etiam timore Pontificis non audebant absoluere dato, quòd possent: Et sic sequebantur multa incommoda supra narrata: Vnde stante hoc, si intentio Summi Pontificis Clem. VIII. non fuisset tollere derogationem dictæ suæ Constitutionis de duello per Decretum supradictum publicatum die 26. mensis Nouembris 1602. & restituere facultatem absoluendi à casibus duelli, frustratoria fuisset dicta reseruatio prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitut. Gregorij XIII. nam per prius nullus absoluebat, nec ab istis casibus reseruatis in dicto Decreto Clementis, nec ab alijs reseruatis per præsentem Constitutionem: Vnde ad tollendum hoc incommodum, & ad hoc, vt reputetur vera illa reintegratio
siue restitutio facultatis absoluendi à casibus duelli nō excep- 1
tuatis in dicto Decreto illa generica restitutio, siue reintegratio facultatis absoluendi à casibus, & censuris reseruatis sedi Apostolicæ debet reputari pro specifica, & expressa tum respectu regularium, tum non regularium, quo ad casus duelli in dicto Decreto declaratorio anni 1602. non comprehensis, nec reseruatis iuxta doctrinam Iasonis in l. 2. ff. de liber. & posthum. quam refert, & sequitur Sanchez de matrim. tomo 3. disp. 35. nu. 17.

QVAESTIO XXXVIII.

Cum per Decretum Clementis VIII. Felicis memoriæ, Romæ publicatum die 26. mensis Nouembris 1602. prohibitum sit Confessarijs, etiam priuilegiatis, qui facultatem habent absoluendi à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, ne possint absoluere à casibus prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Concilij Trid. & Constitutionem Greg. XIII. quæ incipit, Ad tollendum: Quæritur quomodo sint intelligenda illa verba, prouocantium, & pugnantium &c. ad hoc vt casus sit reseruatus virtute dicti Decreti?

SVMMARIVM.

Casus ad duellum pertinentes Summo Pontifici particulariter reseruati per Decretum Clem. VIII. qui sunt. num. 1.
Verba in lege posita debent aliquid operari. nu. 2.
Dictio, &, est copulatiua. nu. 3.
Dictio, Et, quandoque ponitur alternatiuè. nu. 4.
Consuetudo est optima legum interpres. num. 5.
Lex emanata ad vitandum peccata, & obuiandum illis dicitur fauorabilis, & extensibilis. num. 6.
Casus ad duellum pertinentes quando sint reseruati, & puniti per Decretum Concilij Trid. vel Constit. Greg. XIII. & quando per Constit. Clem. VIII. num. 7. remissiuè.



1 ESOLVTIVE respondendo ad supradictū quæsitum dico Primò, quòd Summus Pontifex per dicta verba sibi reseruauit casus pugnantiū tam in duello publico, & solemni iuxta Decretum Concilij Tridentini, quàm in duello priuato iuxta Constitutionem Greg. XIII.

Secundò, sibi reseruauit casus prouocantium tantū ad duellum siue publicum, & solemne, siue priuatum, etiam non secuta pugna, si ad locum destinatum accessissent pugnaturi, & impediti pugnam non comisissent, si per eos nō stetisset, quominus pugnarent, iuxta Constitutionem Greg. XIII. in versic. volentes etiam. in fi.

Tertiò, sibi reseruauit non solùm casus pugnantium in duello, vel prouocantium, vt supra dictum est; sed etiam omnes alios casus pertinentes ad duellum, qui continentur in dicto Decreto Concilij Trid. & Constitutione Greg. XIII.

Supradicta Conclusio quoad primam partem non indiget probatione, cùm sit clarior luce meridiana.

Probatur quoad secundam partem, Primò, per Bullā Gregorij XIII. punitur non solùm duellum consummatum publicum, & solemne, & etiam priuatum, sed punitur prouocatio tantùm ad duellum siue publicum, siue priuatum, etiam nō secuta pugna, si ad locum destinatum accessissent pugnaturi,

turi, & impediti pugnam non commisissent, si per eos nō ste tisset, quominùs pugnarent: Sed Decretum Clem. VIII. per quòd dictos casus sibi, & Sedi Apostolicæ reseruauit, refertur ad dictam Constitutionem Gregorij XIII.

Igitur secundum illā debet intelligi, & declarari iuxta text. in Autent. si quis in aliquo. C. de edendo. & sicut in illa distin ctè puniuntur, & reseruantur, sic etiam per dictum Decretum distinctè reseruantur.

Secundò, Verba in lege posita debent aliquid operari. cap. si Papa. de priuil. in l. si quando ff. de legat. 1. Sed si per Decretum Clem. VIII. non essent reseruati casus prouocantium ad duellum etiam non secuta pugna si ad locum destinatum accessissent pugnaturi, & impediti pugnam non commisissent, si per eos non stetisset; quominus pugnarent, illud verbum, prouocantium, nihil operaretur, & esset inutile positū; nam sub verbo, pugnantiū ad duellū, includitur prouocatio; quia si prouocatio non præcederet, non esset duellū, sed rixa, vel aggressio, & sic suffecisset dixisse pugnantiū. Ergo ad hoc, vt verbum prouocantium non sit otiosè positū, debemus dicere Summum Pontificem Clem. VIII. reseruasse sibi & Sedi Apostolicæ non solùm casus pugnantium ad duellum, sed etiam prouocantium tantùm ad duellum siue publicum, & & solemne, siue priuatum, etiam non secuta pugna si ad locū destinatum accessissent pugnaturi &c. vt supra dictū est, iuxta Constitutionem Gregorij Decimitertij. 2

Nec in consideratione est habēdum, quòd dictio, Et, sit copulatiua, cuiusuis est requirere naturā vtriusque copulati. l. si quis ita stipulatus fuerit decē aureos. ff. de verb. oblig. l. si hæredi. ff. de condit. insti. & notant Doctores in c. 2. de rescrip. 3
Nam quandoq; ponitur alternatiuè, Et, pro Vel, vt docet Bal. in c. 1. in fi. de duob. fratribus in feudis, & in præsenti casu po tiùs debet sumi alternatiuè, quàm coniunctiuè, ne sequatur contradictio inter Decretum prædictum Clem. VIII. & Constit. Greg. XIII. ad quam refertur, & in qua punitur non solū duellum consumatum, sed etiam prouocatio tantùm ad duellùm non secuta pugna, si ad locum destinatùm accessissent pugnaturi &c. Præterea sequeretur etiam, quòd verbum, Pro- 4

uocantium eſſet otioſè, poſitum, quod eſt abſurdum in lege, vt dictum eſt ſupra in ſecunda ratione. Vnde remota ſupradicta obiectione remanet firma concluſio ſupra poſita.

Probatur etiam tertia pars ſupradictæ Concluſionis.

Primò, quia Summus Pontifex Clem. VIII. per illam rationem id voluit innuere: Licet enim expreſſerit tantùm caſus prouocantium, & pugnantium, tamen referẽdo ſe ad Decretum Concilij Trid. & Conſtitutionem Gregorij XIII. per illam relationém voluit ſimul ſibi reſeruare omnes caſus ad duellum pertinentes, qui in dictis iuribus continentur.

Secũdò, dictum Decretum Clem. VIII. ita fuit à principio vſu receptum, & per decennium obſeruatum, & paſſim Confeſſarij, qui habebant facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis Summo Pontifici nomine ſuorum pœnitentium recurſum habuerunt ad Regentem Sacræ Pœnitentiariæ pro facultate abſoluendi à caſibus duelli, qui in dicto Decreto Con-
5 cilij Trident. & Conſtitutione Gregorij XIII. continentur; Sed conſuetudo eſt optima legum interpres. l. ſi de interpretatione. ff. de legibus. Igitur hoc pacto interpretari debent dicta verba.

Tertiò, hæc reſeruatio caſuum fuit facta à Summo Pontifice ad conſulendum animabus fidelium, vt & maturo, & prudentiori iudicio iudicarentur, & mederentur tam grauia peccata, (ſaluti animæ, & Reipublicæ pernicioſiſſima.) iux-
6 ta Concilium Trident. in ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruatione. Sed lex, quæ emanata fuit ad vitandum peccata, & obuiandum illis, & conſulendum animabus dicitur fauorabilis, & extenſibilis, etiamſi eſſet in ea pœna, vt docet glo. in c. ſciant cuncti. in verb. alios, de elect. lib. 6. Ioan. Andr. in c. ex tenore. qui filij ſint legit. vbi Abbas reputat hoc ſingulare, & Flaminius Pariſius de Reſignat. benefic. lib. 12. q. 2. nu. 16. & 17. Ergo ſupradicta reſeruatio caſuum facta à Clem. VIII. debet extendi ad omnes caſus pertinẽtes ad duellum, qui continentur in dicto Decreto Concilij Trid. & Conſtitutione Greg. XIII.

7 Caſus verò ad duellum pertinentes, qui per Decretũ Conc. Trid. & Conſtitutionem Greg. XIII. ſunt prohibiti, & pu-

niti,

niti, & per Decretũ supradictum Clem. VIII. sedi Apostolicæ particulariter reseruati, enumerati sunt supra in q. 4. & similiter ex ibi dictis facilè cognosci poterit, quando per præsentem Constitutionẽ Clem. VIII. tantùm sunt reseruati.

QVAESTIO XXXIX.

Ad quam restitutionem teneantur in foro conscientiæ, qui descendunt ad singulare certamen, si alter alterum lædat, vel occidat.

SVMMARIVM.

Taciti, & expressi eadem est virtus. num. 1.
Scienti, & consentienti nulla fit iniuria. nu. 2.
Defensio est de iure naturæ. nu. 3.
Occidens in duello tenetur resarcire læso, vel filijs, & hæredibus quamcunque iacturam. num. 4.
Damnum inferens proximo ex sua culpa tenetur illud resarcire. num. 5.
Danti operam rei illicitæ, quæ prohibita sit ex præcepto iustitiæ, ei imputantur omnia, quæ sequuntur. num. 6.
Pactum de re illicita nullum est. num. 7.
Eadem est ratio finis, & eorum, quæ tendunt ad finem. num. 8.
Restituendi necessitas oritur ex damno iniuste, & culpabiliter dato. num. 9.
Restituendi necessitatem non inducit prauitas intentionis. nu. 10.



AD nullam restitutionem teneri videtur dicendum. 1

Primò, quia eadem est virtus taciti, & expressi. l. cum quid. ff. de rebus cred. Sed si inter se ita conuenerint, vt sibi inuicem remittant damna contingentia, neuter teneretur alteri ad aliquid restituendum; nec læso, nec hæredibus, cùm vterque renunciauerit iuri suo, quod liberè potuit, iuxta recentiores, secundum Salon in 2.2. D. Thom. quæstio. 62. artic. 2. controuersia 11.

Ergo

Ergo & quando absque hac conuentione voluntariè tantùm, descendunt ad illud certamen, quia saltem implicitè consentiunt ad omnia illa damna, & vterque cedit iuri suo secundū eundem Salon. vbi supra versic. Ad quod pace istorum. &c.

2 Secundò, restitutio nascitur ex damno illato cum iniuria eius, cui infertur Salon in 2.2. D.Thom. quæst.62. art.2.cōtrouers. 8.& scienti, & consentienti nulla fit iniuria.c.scienti. de reg. iur. in 6. Sed ad duellum propriè sumptum, de quo loquimur, scienter & voluntariè descenditur: Ergo nulli fit iniuria, & per consequens ex damno illato non oritur restitutio.

3 Tertiò, licitum est vnicuique suum honorem defendere, cùm defensio fit de iure naturæ. cap. ius naturale. distinct.1. Sed prouocatus ad duellum si non acceptat, amittit suum honorem secūdum communem hominum opinionem. Igitur ad nullum damnum tenetur etiamsi occidat prouocantem, cùm defensionem id faciat.

4 His tamen non obstantibus oppositum mihi videtur esse dicendum, nempe teneri in foro conscientiæ resarcire læso, vel filijs, & hæredibus occisi quācunque iacturam, quam illi ratione læsionis, & occisionis perpessi sunt.

5 Quòd probatur Primò, quia, qui infert damnum proximo ex sua culpa, tenetur illud resarcire.c.2.& fi. de iniur.& dam. dato: Sed occisor, vel læsor in duello facit cōtra iustitiā: Igitur est in culpa, & per cōsequens tenetur omnia damna resarcire.

6 Secundò, danti operam rei illicitæ, quæ prohibita sit ex præcepto iustitiæ, & imputantur omnia, quæ sequuntur etiā præter voluntatem suam. cap. sua de homicid. & ibi Panor. 7 & in c.tanta.num.8.qui filij sint legit. Syl.in verb.causa legalis.§.8. Nauar. in Man.cap.17.num.179.& alij.

Tertiò, duellantes puniri debent, vt homicidæ iuxta Concil. Triden. sess. 25. cap. 19. sub Decreto de Reform. Sed qui alterum iniustè occidit, vel lædit, tenetur resarcire læso, vel filijs, aut hæredibus occisi quancunque iacturam, quam illis ratione necis, vel percussionis perpessi sunt, iuxta Scotum in 4. sent. distin. 15.qu.3. cui consonant omnes DD. & refert Salon in 2.2. D.Thom. q.62.art.2.controuersia.6. &

Nauar.

Nauar.in Manua. cap.15.num.19.22. & 23. Igitur quancunque iacturam resarcire tenetur.

Contraria verò non obstant, & ad Primum negatur minor, & eius consequentia, quia pactum de re illicita nullum est. cap. fina. de pact. & eadem ratio est finis, & eorũ 7
quę tendunt ad finem.l.oratio. ff.de sponsalib. Sed finis, propter quẽ facta fuit conuentio illa de remissione damni fuit ad duellandum, quòd illicitum est, & ab omni lege prohibitum: Igitur conuentio illa est nulla. Et si pactio expressa est talis, multò magis tacita erit nulla. 8

Si verò remissio damni facta est post duellum cõmissum, & læsionem, tunc tenet, quia non est illicita, & iuri suo vnusquisque potest renunciare.

Filij verò si non habent, vnde se alant, non nocebit eis illa remissio, quia sicut pater non potest priuare filios legitima, quæ de iure naturæ eis debetur, Authent. de triente & semiss. in princ. §. prohibemus autem. (nam succedit in locum alimentorum) ita nec actione petendi alimenta ab offensore, vel occisore.

Ad secundum negatur maior, quia necessitas restituendi, vel satisfaciendi oritur ex damno iniustè, & culpabiliter dato, vt est in casu nostro, & ex iustitia commutatiua, cuius actus est restitutio, & non ex prauitate intentionis, quæ cùm sit contra charitatem, necessitatem restituendi non inducit, vt docet Nauarr. in Manua. cap. 17. num. 70. & 73. Soto de iust. & iur. lib. 4. quæst. 6. artic. 3. circa fi. Caietan. in 2.2. D. Thom. quæst. 44. artic. 1. 9
10

Et regula illa scienti, &c. intelligitur in his, de quibus potest homo pro libito disponere, nec aliqua lege impeditur, vt docet Salon in 2.2. D. Thom. quæst. 59. artic. 3. conclus. 3. versi. ex hoc sequitur &c. Sed in casu nostro non solùm duellum à lege est improbatum: sed etiam conuentio ad hũc finem facta est improbata, vt probatum est supra in reprensione ad primum.

Ad tertium respondetur, quòd ius naturale, quòd cõcedit vim vi repellere, intelligitur de inuasore, quẽ aliter euadere nequimus nisi lædẽdo, vel occidẽdo illum; Prouocatus verò ad duel-

duellum non patitur talem vim, & licitè, & absque detrimento sui honoris potest recusare duellum, vt probatum est supra in Præmisso generali tertio præsentis Tract. versic. quartò fieri solebat &c. Immo per Decretum Conc. Trid. sess. 29. cap. 19. §. qui verò: sub Decreto de Reformat. declarátur infames duellantes, & ideò interpretatiuè dicitur aggressor, vel saltem congressor. Salon in 2.2. D. Thom. q. 64. art. 3. conclu. 3. versic. secundo si in aliquo. Nec obstat vulgaris hominum opinio: nam regulæ duellorum lege rationis, & nō iuxta prauas consuetudines, & vulgarem hominum opinionem sunt regulandæ, vt docet Mutius Iustinopolitanus in tracta. de duello lib. 3. cap. 13. col. fin. & probatum est supra in tertiò præmisso generali, versic. quartò, fieri solebat: &c.

QVAESTIO XXXX.

Occidentis in duello teneatur nec ne in foro conscientiæ, soluere creditoribus debita, quæ occisus viuens soluisset: Illo autem occiso non habent creditores vnde pecuniam creditam recipiant.

SVMMARIVM.

Occidens in duello tenetur soluere creditoribus debita, quæ occisus viuens soluisset; illo autem occiso non habent creditores vnde pecuniam creditam recipiant. num. 1.

Lata culpa est nescire, quod omnibus innotescit. nu. 2.

Doctorum auctoritas licet sit probabilis, tamen homo prudens potius debet pendere à rationibus, quæ procedunt ex principijs intrinsecis. nu. 3.

Obligatus obligatione antidorali, quæ ex legis ac iuris naturalis vinculo oritur, quando teneatur in animæ iudicio ad recompensandum beneficium. num. 4.


RO parte negatiua multa adduci possunt, & Primò, quia restitutio oritur ex damno illato cum iniuria eius, cui infertur, vt docet Salon in 2.2. D. Thom. quæst. 62. art. 2. controu. 8. Sed occisor non occidit hac intentione, ne creditores suum creditum reciperent, sed tantum ex odio nihil cogitans de creditoribus: Ergo non nocuit creditoribus cum iniuria, & per consequens non tenetur restituere.

Secundò, nulla actio datur creditoribus in foro exteriori contra huiusmodi homicidam, vt docet Bannès de iust. & iur. quæst. 62. art. 2 dub. 6. in respons. ad tertium, & tamen Iudices fori exterioris sunt custodes iustitiæ: Ergo certum signum est, quòd interfector non tenetur ad talem restitutionem.

Tertiò, Confessarij in foro conscientiæ sunt Iudices conscientiæ, & tamen nunquam interrogant homicidam, an interfectus habuerit creditores: Ergo signum est, quod non adest talis obligatio.

Quartò, interfector non occidit animo nocendi creditoribus: Ergo interfectio illa non fuit causa directa, & de per se damni creditoris, sed tantùm indirectè, & per accidens.

Quintò, ius creditorum ea conditione acquiritur, vt maneat pendens à periculis vitæ, & bonorum personæ creditoris: Ergo succedente casu periculi sibi imputet creditor, qui se voluntariè exposuit talibus periculis, & non alteri.

Sextò, creditor non habet ius in debitorem, nisi quantùm se extendunt bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter erit habiturus: Ergo cùm homicida restituit hæredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, ea quæ ipse putabat lucraturum occisum, non facit iniuriam creditoribus: possunt enim ab hæredibus solutionem petere.

Septimò, accedit auctoritas Doctorum, qui fauent huic opinioni, dicendo, quòd si occisor hac malitia, & intentione occiderit, ne creditores recuperarent sibi debita, tenetur soluere: Si verò non hac intentione, sed ex odio nihil cogitans de creditoribus, vt frequenter occurrere solet, non tenetur aliquid restituere creditoribus: Ita docet Michael Salon

in 2.2.D.Thom. quæst. 62. art. 2. contr. 8. Bannes, ibidem dubitat. 6. in respon. ad tertium, Sayrus in lib. 11. Clauis Regiæ. cap. 2. num. 23. & Leonardus Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 9. Dubit. 26. num. 151. qui ex his quæ dicit Dubit. 16. eiusdem lib. 2. & cap. 9. num. 113. etiam si occisor intendat damnum tertij non tenetur restituere in casu nostro, quia vt ipse præsupponit, ex occisione vt plurimum non sequitur dānum creditoribus.

1 Sed in oppositum sunt multæ rationes æquè validiores, &

Primò, obstat tex. in cap. fin. de iniur. & damno dato, vbi ex sola culpa tenetur quis ad satisfactionem damni quantuncunque nō habuerit voluntatem damnificandi: Sed occisor in casu nostro fuit in culpa damni creditoribus illati: nam dedit operam rei illicitæ, & scire debebat verisimiliter posse contingere damna aliquibus ex interfectione illius: Ergo tenetur damna creditoribus resarcire.

Secundò, quia danti operam rei illicitæ, quæ prohibita sit ex præcepto iustitiæ, ei imputantur omnia quæ sequuntur, etiam præter voluntatem suam. cap. tua. de homicid. & ibi Panorm. & in cap. tanta. num. 8. qui filij sint legit. & Sylu. in verb. causa legalis. §. 8.

Tertiò, quando culpa præcessit, tenetur etiam quis de casu fortuito. cap. 1. extra de commodato. l. sicut certo. §. sed interdum. ff. commodati. glo. in c. imputari. de regu. iur. in 6. Nauar. in Man. c. 17. num. 179. & alij.

Quartò, Doctores in oppositum allegati concordant in hoc, excepto Lessio, quòd si occisor mala intentione interfecisset, teneretur resarcire damna creditoribus; Sed intentio mala damnificandi necessitatem restituendi nō inducit, quia est contra charitatem, non autem contra iustitiam commutatiuam, vt docet Nauar. in Man. cap. 17. num. 70. & 73. & Sot. de iustit. & jur. lib. 4. q. 6. art. 3. circa fi. Et iustum, & iniustum non in bonitate, aut prauitate animorum, & intentione consistit, sed in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate secundum D. Thom. in 2. 2. q. 58. art. 10. & Nauar. in tracta. de vsur. num. 53. & Sayr. in lib. 11. Clauis Regiæ. cap. 3. nu. 22. ante versi. Dubium quartum, inquit, quòd

bonus, vel malus animus ad rem non facit in materia restitutionis, nam iustitia, cuius actus est restitutio, respicit iniustũ, vt æqualitatem constituat, nec curat de bono, vel malo zelo; vt expressè etiam testatur Petrus Nauar. lib. 2. de restit. cap. 4. par. 3. dub. 4. nu. 374. Ergo cùm eadem sit actio externa nempe occisio, siue ex intentione sit facta, siue non, sequitur, quòd si quando mala intentione, nempe nocendi creditoribus sit facta interfectio tenetur, occisor damna resarcire creditoribus; tenetur etiam quando ex odio occisi occidisset, & non damnificandi creditoribus.

Præterea dato, & non concesso, quòd obligatio restitutionis nascatur ex mala intentione, est aduertendum, quòd nec nascitur ex solo animo malo, & doloso sine damno proximi secuto, nec ex solo damno dato; sed ex damno iniustè, & culpabiliter dato, vt docet Sayrus in lib. 10. Clauis Regiæ tracta. 2. cap. 8. in fi. Sed damnum datum creditoribus occisi in casu nostro est iniustè, & culpabiliter datum ab occisore: Ergo tenetur illud resarcire.

Quintò, lata culpa est nescire, quod omnibus innotescit, l. latæ culpæ. ff. de verb. signifi. quæ dolo æquiparatur. l. quod Nerua. ff. depositi: Sed occisor committendo homicidium maligno animo nocendi creditoribus, teneretur illis damna resarcire, quia esset in dolo: Ergo & similiter quando nõ hoc animo; sed odio occisi homicidium commisit, quia fuit in lata culpa: nam omnibus innotescit, quod ex homicidio dãna sequi solent. 2

Sextò, iura plus omissionis, quam commissionis tolerant culpam, vt docet Bart. in l. quod Nerua. ff. depositi. & Sylu. in verbo. homicidium 2. num. 15. in fi. Sed in contractu cõmodati, si res commodata culpa commodatarij etiam leuissima perit, tenetur commodatarius illam restituere: cap. 1. de commodato. Nauar. in Manu. cap. 17. num. 179. Salon in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 6. controuer. 5. conclus. 1. Ergo multò magis debet habere locum in delictis, vbi culpa est in committendo, vt est in casu nostro.

Septimò, homicida tenetur filijs occisi; & ratio est, quia parens illis ex iustitia obligabatur: Ergo cùm etiam oblige-

tur

tur ex iustitia creditoribus, tenebitur eis occisor. Nec obstat, quòd aliqui respondent huic rationi, nempe diuersam esse rationem de filijs, & de creditoribus: nam parentes non tenentur ex iustitia filijs, sed tantùm lege pietatis; Nam respondetur, quòd tenentur non solùm lege pietatis, sed etiam iustitiæ, vt patet ex l.vlt.C.de alend. liber.

Sed dato, & non concesso, quòd lege pietatis tantùm tenerentur, obligatio restituendi oritur multò magis ex lege iustitiæ, quam pietatis: Sed debitor tenetur creditori soluere debita ex lege iustitiæ: Ergo si tenetur occisor soluere filijs occisi damna, quæ eis debebantur à patre ex lege pietatis, multò magis tenebitur soluere creditoribus damna, quæ eis obuenerunt, & debebantur ex lege iustitiæ.

Octauò, qui rem hypothecatã perimit, tenetur creditoribus de damno: Ergo etiam qui interimit debitorem, qui ratione obligationis personalis est instar hypothecæ obligatus.

Nonò, non solùm fur, sed etiam quilibet alius malefactor tenetur ad interesse damni etiam extrinseci, vt docet glo. in l. 1.C.de senten. quæ pro eo, quod interest. verb. duplici. & Nauar. in Man. cap. 17. num. 140. vers. Ad dubium autem 16.P. Vincentij: Ergo & ad soluendum debita.

Nec rationes pro parte negatiua adductæ videntur obstare, nam

Ad primum responderi poterit negando maiorem; Restitutio enim oritur ex damno illato cum culpa ipsius damnificantis, vt patet ex cap. fi. de iniur. & damno dato: Damnum verò siue inferatur cum iniuria, siue non, parum interest, quia intentio mala damnificandi, siue inferendi iniuriam restituẽdi necessitatem non inducit, sed ratio externa; vt probatum est in 4. ratione pro parte affirmatiua.

Ad secundum verò negari potest consequentia, nam dato, & non concesso, quòd actio in foro exteriori denegetur, hoc factum esset ad euitandas contentiones, & lites in Republica: Sed non per hoc sequeretur liberum esse interfectorem in animæ iudicio ab obligatione restituendi damna.

Do exemplum: Decipiens in vendendo infra dimidium iusti pretij, & in emendo vltra dimidium peccat, & in animæ iudi-

iudicio tenetur restituere: Et ratio est, quia egreditur limites iusti pretij, vt docet communis schola Theologorum, & Iurisperitorum. D. Thom. in 2.2.q.47.art.1.in corpore. Corradus de contract.q.57.& 58.& alij: & tamen in foro exteriori non datur actio decepto, nisi quando qui vendit, decepit vltra dimidium iusti pretij: vel qui emit, emit infra dimidium iusti pretij, vt habetur in c.cùm dilecti. & c. cum caussa. extra de empt. & vend. & in l.2.C de rescind. vendit.

Similiter obligatus obligatione antidorali, quæ ex legis, ac iuris naturalis vinculo oritur (non autem quæ insurgit ex honestate, & debito naturali) tenetur in animæ iudicio ad recōpensandum beneficium conuenienti tempore, nempe quando ille, qui beneficium præstitit, est in aliqua necessitate, & ipse potest reddere beneficium, & est requisitus, vt docet Couarr. in cap. cùm in officijs. de testam. num. 9. vers. glosa Bernardi D. Thom. & Caiet. in 2.2.q.107.art.3. Et tamen in foro externo non datur actio ad euitandas contentiones, lites, & expensas in Republica, vt docet Angelus in Summa verb. obligatio. num. 2. littera C. & ibi Vngarellus in Additione. Vnde ex his duobus exemplis clarè colligitur, quòd licet in foro fori non detur actio contra damnificantem, non per hoc sequitur esse liberum in animæ iudicio à restitutione. 4

Ad tertium negari potest antecedens, & consequentia: solent enim Confessarij regulariter dicere pœnitentibus homicidis, vt perquirant damna illata causa homicidij, & illis satisfaciant.

Præterea responderi potest, quòd in simili respondet Nauar. in Manu. cap. 17. nume. 140. versic. Ad dubium 16. P. Vincentij, nempe quod Confessarij non interrogant pœnitētes in particulari de hoc damno, & non obligant eos ad illud resarciendum, quia nesciunt hoc damnum in particulari.

Et quia non omnes Confessarij omnia capiunt, dato & nō concesso, quod non interrogarent homicidas de hoc damno, non per hoc sequitur non esse obligatos in animæ iudicio resarcire damna illata.

Ad quartum responderi potest, quòd quanuis damnum illatum ab interfectore non fuerit directè volitum in se, fuit

tamen volitum in causa, quia præuidere debebat, & de per se sequitur, quod, vt plurimùm sequitur ex aliqua causa, vt docet Lopez in prima parte sui Instructorij. capit. 123. conclusio. 2.

Præterea, qui dat operam rei illicitæ, quæ ex præcepto iustitię est prohibita, tenetur etiam de casu fortuito, & ei imputantur omnia, quæ sequuntur, etiam præter voluntatem, vt dictum est supra in secunda ratione pro parte affirmatiua.

Ad quintum responderi potest, quòd quando casu periculi succedunt naturaliter, vel ex casu fortuito, tunc debet creditor sibi imputare, & non alteri, quia sub illa conditione acquisiuit ius, & voluntariè se exposuit illis periculis: Sed quando proueniunt ex culpa, & delicto alterius, debent illi casus imputari delinquenti, & illi, & qui fuit in culpa, & non creditori: & proinde culpans tenetur resarcire damna.

Ad Sextum respondere non oportet, quia non facit contra partem affirmatiuam; Nam dum homicida restituit hæredibus ea, quæ ipse putabat occisum lucratum, actio creditoris transfertur in hæredes occisi, & ipsi hæredes tenentur soluere, quæ ipse occisus viuens soluisset.

Ad septimum responderi potest, quòd licet auctoritas Doctorum sit probabilis, tamen homo prudens potiùs debet pendere à rationibus, quæ procedunt ex principijs intrinsecis, quàm à Doctorum tantum auctoritate: Ita docet Iason in l. diuortio. §. si fundum. ff. soluto matrim. Et quando plures sunt opiniones in aliqua difficultate, illa est tenenda, quæ meliori, & subtiliori nititur ratione. cap. capellanus. de ferijs. Bart. in l. bona fides. ff. deposit.

Hęc dixi pro vtraque parte: prudens verò lector eam, quę probabilior ex rationabili causa esse potuerit, sequi poterit, iuxta communem doctrinam Doctorum, quam specialiter docet Corduba in suo quæstionario lib. 2. quæst. 3. versiculo etiam nota &c. post tertiam propositionem, & Sayrus in lib. 1. Clauis Regiæ cap. 6. num. 8.

QVAESTIO XXXXI.

Post absolutionem præsentis tractatus occurrit dubitatio, Duo nempe Pamphylus, & Titius ex condicto mutuo se prouocant ad duellum statuto loco, & tempore, & Pamphylus vadit ad locum determinatum in tempore præfixo, & ibi expectat Titium ad pugnam per spacium temporis iuxta morem duellantium, qui cum non comparuisset in loco, & tempore præfixo, Pamphylus discessit, Quæritur nunc an Pamphylus inciderit in excommunicationem iuxta Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit ad tollendum.

SVMMARIVM.

Prouocantes data opera ad duellum, & acceptantes si ad locum destinatum accedant pugnaturi, et impediti pugnam non committant incurrunt in excommunicationem iuxta Constitutionem Gregorij XIII. si per ipsos non steterit, quominus fuerit commissa. num. 1.


Quod procedit etiam si vnus tantum ad locum accedat. nu. 6.

Clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia. nu. 2.

Validum est in iure argumenum ab absurdo vitando. nu. 3.

Pæna est delicto commensuranda. nu. 4.

Verba in lege posita debent aliquod operari. nu. 5.



RO resolutione præsentis difficultatis supponendum est, tam Pamphylum, quam Titium incidisse in excommunicationem latam per Constitutionem Clementis VIII. quæ incipit illius vices &c. per quam, tam prouocantes, quam acceptantes prouocationes ad duellum excommunicantur, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus subsecutus fuerit, vt patet in dicta Constitutione versic. vel denique, & versic. Quivè alijs &c. & supra quæst. 4. num. 7. & quæst. 21. præsentis tractatus: Sed punctus difficultatis, de qua quæritur

resolutio, consistit, an Pamphylus inciderit in excommunicationem iuxta Constitutionem Gregorij XIII. quia si in illam incidit, absolutio censuræ erit alio modo reseruata per Decretum Clemen. VIII. publicatum Anno 1602. Die 26. Mensis Nouembris.

Duæ possunt excogitari opiniones in præsenti dubio vna negatiua, Altera verò affirmatiua.

Pro parte negatiua primò dici potest, quod per Constitutionem Gregorij XIII. excommunicantur tantum qui monomachyam (id est pugnam duellicam) committunt, vt patet ex dicta Constitutione versiculo Auctoritate Apostolica &c. sed Pamphylus licet habuerit animum pugnandi, & ad locum accesserit in tempore præfixo tamen realiter non pugnauit, & monomachyam non commisit, Ergo in excommunicationem, per dictam Constitutionem latam non incidit.

Nec contra prædictam rationem obstant verba dictæ Constitutionis Gregorij XIII. quæ sunt inversiculo. Volentes etiam &c. in fine, ibi, *etiam si illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserunt, si per ipsos non steterit quominus illa committatur*. Nam dicta verba referuntur ad personas nominatas in dicto vers. volentes, non autem ad versic. Auctoritate Apostolica.

Secundò, Dato, & non concesso, quod non solum monomachyam, seu pugnam committentes sint excommunicati per dictam Constitutionem Gregorij XIII. sed etiam prouocantes, & acceptantes, si ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, & impediti pugnam non commiserunt, si per ipsos non steterit quominus illa fuerit commissa, adhuc dici potest Pamphylum non incidisse in dictam excommunicationem, quia conditiones in dicta Constitutione positæ ad incurrendam dictam excommunicationem non sunt adimpletæ, Ergo in illam non incidit.

Probatur quod non sint adimpletæ dictæ Conditiones; nam primo Requiritur, vt ambo pugnare volentes accedant ad locum destinatum pugnaturi, vt patet ex verbis constitutionis, ibi, *etiam si illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt*

ſerunt &c. Et paulo poſt, *ſi per ipſos non ſteterit &c.* Sed in præſenti caſu vnus tantum acceſſit, Ergo iſta conditio non fuit adimpleta.

Secundò Requiritur, quod per ipſos non ſteterit quominus pugna commiſſa ſit,

Sed in caſu noſtro non poteſt dici quod per Pamphylum non ſtetit, quia etiam dum erat in loco determinato poterat ſe pœnitere, & abire; Et dato quod Titius etiam perueniſſet ad locum in tempore determinato, ambo antequam perueniſſent ad pugnam poterant pęnitere, Ergo cum conditio *ſi per ipſos non ſteterit* non videatur adimpleta, per conſequens non eſt dicendum Pamphylum incidiſſe in dictam excommunicationem;

Pro parte vero affirmatiua, quæ probabilior mihi videtur dici poteſt, Pamphylum incidiſſe in excommunicationem iuxta Conſtitutionem Greg. XIII. Quod patebit probando 1. quod per Conſtitutionem Greg. XIII. excommunicantur non ſolum monomachyam committentes, ſed etiam prouocantes ad illam, ſi ad locum deſtinatum pugnaturi accedant, & impediti pugnam non committant, ſi per ipſos non ſtabit quominus illa committatur. 1

Secundò, quod conditiones poſitæ in dicta Conſtitutione Gregorij XIII. ſunt adimpletæ in caſu noſtro in perſona Pamphyli.

Primum probatur primò, per dictam Conſtitutionem, incipiendo à verſiculo. Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus &c. vſque ad verſiculo. Non obſtantibus, in quo contextu verborum excommunicantur monomachyam non ſolemniter comittentes, & etiam locorum Domini, Mandantes, inſtigantes &c. cum clauſula in fine, *etiam ſi illi, qui ad locũ deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerunt, ſi per ipſos non ſteterit quominus illa committatur*; Sed clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia. capit. ſecundo requiris, & cap. inquiſitioni, extra de Appellationibus, Panorm. in cap. vltimo, de Procuratoribus lib. 6. Ergo non ſolum ad perſonas, quæ immediatè nominantur ante dictam clauſulam refertur, ſed etiam ad omnes ſupranomi- 2

natas à versiculo, Auctoritate Apostolica statuimus &c. & per consequens refertur etiam ad prouocantes ad monomachyam, & illam acceptantes, cum à dicto versic. incipiat dispositio Gregorij, & sequatur vsque ad dictam clausulam, etiam si illi &c.

3 Secundò, validum est in iure argumentum ab absurdo vitando. cap. in genesi, de Electione. cap. Ex ore de priuilegijs, & ibi, Panormit. capit. solitę, de Maioritate & obedientia, Ioan. Andreas in capit. Dudum, & Gloss. in verbo Absurdũ, de Præbendis in 6. Guid. Papa in singulari. 393.

Sed in dicta Constitutione Gregorij excommunicantur socij duellantium quouis modo sese præbentes, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserunt, si per ipsos non steterit quo-
4 minus illa committatur: Ergo cum pœna de iure sit delicto commensuranda .l. Pędius.ff. de Incendio Ruina, & Naufr. l. Respiciendum ff. de Pœnis.l. sancimus.C. de Pœnis, capit. Afferamus, 24. quæstio, 1. si socij duellantium punirentur in hoc casu pro delicto attentato, & non consumato, & principales non nisi sequuta pugna, & per consequens pro delicto consumato, sequeretur hoc absurdum, quod Summus Pontifex magis punisset qui minus deliquerunt in eodem delicto, vnde ad vitandum hoc absurdum dicendum est, vt verè est, intentionem Sum. Pontificis fuisse referre illam clausulam etiam ad ipsos duellare volentes, si ad locum destinatum pugnaturi accedant, & per ipsos non stet quominus pugnẽt.

Tertiò, Clemens VIII. per Decretum publicatum anno Domini 1602. die 26. Mensis Nouembris prohibet priuilegiatis qui habent facultatem absoluendi à casibus, & censuris reseruatis Sedi Apostolicæ, vt non possint absoluere *à casibus prouocantium, & pugnantium in Duello iuxta Decretum Sacri Concily Trident. & Constitutionem Gregorij XIII.* Sed per Decretum Concilij Tridentini. pugnantes tantum excommunicantur, & puniuntur, & de prouocantibus nulla fit mentio: Ergo illa vox prouocantium posita in Decreto Clementis refertur ad Constitutionem Gregorij XIII. & contradistinguitur à prouocatione facta ad duellum iuxta

Con-

Constitution. Clemen. VIII. quæ incipit illius vices &c. (in qua excommunicantur & puniuntur prouocantes ad duellum solemne, & minus solemne, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus subsecutus fuerit, vt patet in versiculo vel denique, versiculo. Quivè alijs, & versicul. Quinimo &c.) quia alias essent frustatoriè posita, quod non est dicendum; Nam verba in lege posita debent aliquid operari.cap. 5
si Papa Priuilegijs in 6.l. si quando.ff. de legatis 1.


Quartò, Accedit, quod dicta Constitutio Gregorij ita semper fuit vsu recepta, & vsus, & consuetudo est optima legum interpres .l. si de interpretatione.ff. de legibus.

Vnde ex supradictis rationibus remanet probatum primum dictum, & etiam solutum primum argumentum allatum pro contraria opinione.

Conditiones etiam positæ in dicta Constitutione Grego- 6
rij XIII. sunt adimpletæ ex parte Pamphyli, nam ipse primò accessit ad locum destinatum: secundò expectauit Titium per totum spacium temporis in quo tenebatur iuxta morem duellantium: Tertiò non decessit è loco pœnitentia ductus commitendi duellum, sed putans satisfecisse ex parte sua, & per eum non stetisse quominus committeretur pugna: Ergo in excommunicationem incurrit.

Nec obstat secunda ratio contrariæ opinionis, nam negatur prima conditio, quod ad incurrendam dictam excommunicationem requiratur, quod ambo duellare volentes accedant ad locum destinatum pugnaturi; Nec obstat, quod Constitutio Gregorij loquatur in numero plurali; nam cum leges sint vniuersales in numero plurali statuuntur ad hoc, vt omnes comprehendant; Et Gregorius XIII. in dicta Constitutione hoc fecit ad comprehendendos tam prouocantes, quam acceptantes; Præterea in eadem Constitutione & versiculo excommunicantur Locorum Domini, Mandantes, Auxilium dantes &c. & tamen nemo sanę mentis negare poterit quod si vnus sit Dominus loci, vel qui mandat, vel auxil ium dat incurrat in dictam excommunicationem, Nec requiratur quod plures sint.

Ad ſecundam conditionem non oportet reſpondere, nam ex ſupradictis (in verſ. Conditiones etiam) apparet fuiſſe adimpletam, & quod per Pamphylum non ſtetit quominus pugna ſequeretur, ſed per Titium, qui non acceſſit ad locum deſtinatum; Vnde clarè conſtat Pamphylum incidiſſe in excommunicationem iuxta Conſtitutionem Gregorij XIII.



BREVE COMPENDIVM EORVM QVÆ IN HOC OPERE HABENTVR.

Per præsentem Constitutionem, & alia iura duellum prohibentia puniuntur infrascriptæ personæ.

DVELLANTES. quæst.4. nu.1. & 2. quæst. 6. num. 3.
Prouocantes. quæst.4. num. 7.
Acceptantes. quæst.4. nu. 12. & quæst. 21.
Mandantes. quæst. 4. num. 12. & glo. 21.
Ratum habentes. quæst. 31.
Suadentes. quæst.4. num.12.
Instigantes. quæst.4. num. 12.
Socij. quæst.4. num.12. & glo. 28.
Commeatum præstantes. quæst.4. num.8. & 12.
Fautores. quæst.4. nu. 8. & glo. 19.
Patrini. quæst.4. num.12.
Consulentes. quæst.4. num.8. & glo.18.
Auxiliantes. quæst.4. num.8. & glo. 17.
Spectatores. quæst.4. num.10. & glo.29.
Arma / Pecuniam vel / Alia subsidia } Scienter subministrantes. quæst.4. nu.8.
Domini locorum, in quorum dominijs duellum committitur. q.4. nu.11. & quæst. 6. num. 1.
Magistratus / Præsides / Locatenenentes / Militum Duces / Capitanei } Duellum permittentes, vel quantũ in eis est non prohibentes, vel post admissum crimen, veniam, & impunitatem concedentes. quæst.4. nu. 11. & quæst. 6. nu. 1. versic. 9. dictæ pœnæ.
Ciuitates / Terræ / Oppida } & alia loca in quorum dominijs duellũ cõmittitur. quæst.4. num. 17. & quæst. 36.

Im-

Immiscentes se quomodolibet, vt duellum, vel prouocatio ad duellum fiat. quæst. 4. nu. 12.


Qui prouocatorium libellum, quē Cartellū vulgariter dici solet, vel publicos libellos, qui Manifesta vulgariter dici solent.
{ Componunt, Dictant, Scribunt, Subscribunt per Piū IV. versic. illosque. ibi subscribentes. Typis imprimūt, Eorum exempla cōficiūt, Publicant, Verbo denunciant, Mittunt, Deferunt, Intimant, Affigunt, Attestantur. } q. 4. nu. 16.

Vel quomodolibet ad prædicta.

Suaserint, Mandauerint, Consilium, Auxilium, Operam vel fauorem } præstiterint.

Quomodolibet circa cartulas prædictas peccantes, aut se

Immiscentes, Narrationes, Declarationes, Iustificationes } & similia more militari, vt vulgò dicitur Caualeresco faciētes, ad effectū &c. q. 4. nu. 13.



Supra-

Supradictæ personæ puniuntur cuiuscunque sint sexus, status,& conditionis.quæst.10.num.1.2.&3. 1

Et non solùm in statu Ecclesiastico, sed etiam in omni loco, etiam quoad temporale dominium Ecclesiæ non subiecto, quæstio.10.num.4. 2

Pœnæ, quibus puniuntur supradictæ personæ delinquentes enumerantur in quæst.6. 3

Omnes supradictæ personæ delinquentes puniuntur eisdé pœnis, quibus duellantes ipsi puniuntur in ijs; quæ possunt illis adaptari.quæst.6. num.4. 4

Et hoc siue duellum sit publicum, & solemne; siue priuatum, & minùs solemne.quæst.12. 5

Quando supradictæ personæ delinquentes incurrunt in pœnis eis impositas habetur, quæst. 5. 6


Supradictis pœnis an ligentur ipso facto delinquentes in foro conscientiæ? habetur. quæst. 7. 7

Quando propter ignorantiam excusentur prædictæ personæ à pœnis, habetur.quæst.8. 8

Ad quam restitutionem teneantur in foro conscientiæ, si alter alterum lædat, habetur.quæst.39. & 40. 9

Qui possunt absoluere supradictas personas delinquentes, habetur. quæst. 37. & 38. 10

Casus duelli quando contineatur in Decreto Concilij Tridentini, quando in Constitutione Gregorij XIII. & quando in præsenti Bulla Clem. VIII. habetur, quæst.4. 11




CON-

CONSTITVTIONES,

ROMANORVM PONTIFICVM,

Et Decreti Concilij Trid. quibus duellum prohibetur.



Iulius II. Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Haec Constitutio est nona in ordine in Bullario.

R*EGIS pacifici, qui regnat in caelis, licet insufficientibus meritis vicesgerentes in terris cunctorũ fideliũ statui, prout ex susceptae seruitutis tenemur officio, indefessa solercia intendentes, ac animarum periculis obuiare cupientes, ad ea, per quae vbique praesertim in terris Romanae Ecclesiae sponsae nostrae subiectis inter fideles eosdẽ, caedes, rixae, & contentiones cessent, scandalorum tollantur fomenta, pax, & concordia vigeant, prosperisque eorum successibus consulatur, opportunae prouisionis operam impendimus, prout in domino conspicimus salubriter expedire. Sane non sine maxima animi nostri perturbatione accepimus, quod nonnulli fidelium praedictorum inimico humani generis instigante, & aliquibus causis occurrentibus, & plerunque minimis, & inhonestis, ac leuibus verbis ad contumelias, contentiones, & diffidationes deuenientes, vt alter alterius sanguine satietur, ad temporales Principes, & Dominos, maxime Ciuitatum, terrarum, & locorum sedi Apostolicae subiectorum confugiunt, vt eis locum tutum, siue campum ad duellum, seu pugnam assignent. Et quãmuis Principes, & Domini praefati duellum, siue pugnam eis dissuadere, & prohibere deberent, tamen plerunque locorum, aut campum tutum huiusmodi assignant, maleuolumque altercantium propositum ad executionem augent, magisque vni, quam alteri fauent, ex quo hominum mortes repentinae, & nisi diuina gratia praeueniantur, animarum perditiones, mutilationes, & vulnera, inter astantesque pugnantium amicos, odia, & altercationes, & ex vno inconuenienti plura oriuntur in ipsorum fidelium animarum, & corporum periculum, generisque*

risque

risque humani præfati iacturam, perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

Nos igitur, qui fidelium prædictorum tranquillitatem, & pacem sinceris desiderÿs exoptamus, saluberrimis christianæ religionis documentis, & exemplis Deum tentandum non esse præmoniti, Saluatorisq; Domini nostri Iesu Christi, qui Petro Apostolorum Principi, vt gladium mitteret in vaginam mandauit, præceptis edocti, attendentes hominem homini, inter quem cognationem quandam natura constituit, insidiari nefas, & gladiatoria munera, & purgationes huiusmodi vulgares à religionis nostræ pietate dãnari, cruentaque spectacula à Sacris Canonibus, & imperialibus legibus inhibita, & improbata, sicque pugnantes infamia notari, & diuersis pœnis puniri, & cum omni tempore, potissimum tamẽ in otio ciuili, & domestica quiete publica detestanda esse, Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, hac in perpetuũ valitura constitutione, duellorum, & gladiatorũ huiusmodi vsum damnamus, & improbamus, & in terris Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectis, per quoscunque quauis auctoritate, & potestate, ac nobilitate fulgentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, e quacunque causa etiam à legibus permissa, fieri omninò prohibemus.


Dictosque pugiles taliter pugnantes vbique impune capi posse, & puniri pro homicidio, vel vulnere iuxta iuris communis dispositionem, nulla eis consuetudine suffragante, statuimus; corporaque in duello in terris Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectis facto, morientium in sacro sepeliri prohibentes; sub simili excommunicationis pœna, & interdicti ecclesiastici, omnibus, & singulis vtriusque sexus Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicillis, Baronibus, & aliÿs temporalibus Dominis, Vicariÿs Communitatibus, & Vniuersitatibus Ciuitatum, terrarum, & locorum præfatæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum mandantes, ne de cætero futuris temporibus aliquibus cuiuscunque dignitatis, & nobilitatis fuerint, & ex quacunque causa etiam à legibus non improbata locum, seu campum liberum ad duellum, seu alias ad pugnandum tutum, aut quomodolibet assignent, concedant, seu tradant, aut assignari, concedi, seu tradi faciant vel permittant sub

excom-

excommunicationis latæ sententiæ, & quatuor millium ducatorum Cameræ Apostolicæ applicãdorum pœna pro qualibet vice incurrenda.

Et si huiusmodi constitutionis violatores vltra primam dictam vicem fuerint, vltra dictas pœnas feudo, seu Vicariatu, quem à dicta Romana Ecclesia obtinuerint, priuatos fore Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, mandamus, atque decernimus. Non obstãtibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus, priuilegijs, indultis, & concessionibus quauis auctoritate editis, & quibusuis concessis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quod præsentes litteræ nostræ postquam in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & in Campoflore in vrbe affixæ fuerint, & omnes, & singulos ciues Romanos, & alios in vrbe commorantes affixis quindecim diebus: Alios vero Duces, Comites, Marchiones, Domicillos, Barones, & alios temporales Dominos, Vicarios, Communitates, & Vniuersitates præfatas, Ciuitatum, terrarũ, & locorum Sedis præfatæ, mediate, vel immediate subditorum, decurso mense arctent, contrafacientes pœnas præfatas incurrant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis omnibus, & singulis cõtrafacientibus personaliter, & particulariter intimatæ fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, improbationis, prohibitionis, statuti, præceptionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1508. Sexto Calen. Martij Pontificatus nostri anno Sexto.



CON-

CONSTITVTIO LEONIS X.

quæ est XXIX. in ordine in Bullario.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

QVAM Deo, & hominibus abominabiles viri pugnantes in duello existant, & omnium in ore versatur, & diuina, humanaque iura detestantur, nec immerito cum non solum corporum, sed etiam eorũ animarum, pro quibus Saluator noster Iesus Christus Dei filius mortem subiijt temporalem, graue detrimentum afferre noscantur. Ad reprimendum igitur talium nefarios ausus plurimum conferre censentes, eos, qui huiusmodi scelus detestabile quidem, & Canonica, ciuilique lege prohibitum patrare non expauescunt, grauiter fore puniendos, ac ea, quæ ad compescẽdum similes vetitos conatus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris statuta fuerunt, vt eo firmius obseruentur, quo sæpius fuerint auctoritate Apostolica munita, approbamus, & nouo munimine roboramus, & si qua ad perterrendum animos audaces meliora sint, ijs adijcimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Dudum siquidem à Fel. record. Iulio Papa Secundo prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis videlicet.

Omittitur hic tenor litterarum Iulij quia supra eum habuimus.

CVM autem sicut accepimus, in eisdem litteris cõtenta ab aliquo tempore citra non fuerint obseruata, & ex eo quam plurimi Barones, Domini temporales, & alij præsertim eidem Romanæ Ecclesiæ subditi adeo procliuiores ad pugnandum in duello redditi sint, vt passim quotidie singularia huiusmodi certamina vbique cõmitti vidæan-

videantur, ac Domini temporales præfati, armorúque Duces eos ad id inuitare, quin potius irritare non formidet, cum & in eorum territorijs, & iurisdictionibus tutum pugnatium, siue aream præparent, & talia cruenta spectacula exhibeant, & illis comitiuã præstent. Nos igitur nonminus detestabilem in duello pugnantiũ quã Ducum, Comitum, Marchionum, Baronum, Domicillorum, & armorum capitaneorum, aliorumque Dominorum temporalium, eis ad id auxilium, consilium, & fauorem præstantium nequitiam, ac improbam eorum conscientiam reprobantes, qui ad ea visenda conueniunt, corporum, & animarum saluti Christi fidelium opportunis remedijs indefesso studio prospicere volentes, litteras Iulij prædecessoris præfati motu proprio, & ex certa scientia nostra, & animi deliberatione harum serie, auctoritate Apostolica approbamus, & confirmamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.

Adijcientes, & eadem auctoritate Apostolica statuentes, quod pugnantes ipsi non solum pœnis prædictis subiaceant, sed eorũ memoria perpetuo dãnata sit, ac bona proscripta sint, & Cameræ Apostolicæ confiscata eo ipso, Duces, Barones, Comites, Marchiones, & Domini temporales, Vicarij, feudatarij, Armorum Capitanei, Cõmunitates quoque Ciuitatum, terrarum, & Locorũ eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum, campum ad pugnandum, præstantes, non solum pœnas prædictas incurrant, sed ab omni iure quod in locis, & territorijs suis obtinẽt, ipso facto cadãt, illudque ad Cameram præfatam deuoluatur, atque deuolutum esse censeatur, absque alia declaratione desuper facienda.

Qui vero ad talia cruenta spectacula videnda conuenerint, Si nobiles quingentorum, si mediocris fortuna centum, si vero ignobilis 20. ducatorum, nec non excommunicationis, & perpetuæ maledictionis pœnam incurrant; ac locus ipse ecclesiastico subiaceat interdicto: Et insuper omnia, & singula tam per Iulium prædecessorẽ statuta, vt præfertur, per nos confirmata, & illis adiecta, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obseruari debere decernimus: Quocirca venerabili fratri Raphaeli, Episcopo Ostiensi Camerario nostro, ac dilectis filijs præsidentibus, & Clericis dictæ Cameræ pro tempore existentibus Motu simili mandamus, quatenus præsentes litteras solemniter, prout sibi videbitur, publicari, ipsaque

que ac omnia, & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant contrafacientes vero per dictas censuras, & pœnas damnabiliter incurrisse declarent, ac Summariè, & eorum camerali more exequantur, & irremissibiliter exigant, inuocato adhuc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, super quibus amplam eisdem concedimus facultatem, & potestatem.

Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas nõ facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, commonitionis, adiectionis, statuti, decreti, mandati, & commissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1519. Decimo, Calend. Augusti. Pontificatus nostri anno settimo.

CONSTITVTIO

CLEMENTIS VII.

quæ est XI. in Bullario.



Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



ONSVEVIT Rom. Pontifex, ex Apostolicæ Sedis prouidentia ad reprimendum nefarios conatus peruersorum contra canonicas sanctiones, & mandata Apostolica in suarum & aliarum animarum periculum, ca dictæ sedis contemptum temere tendentium, gesta prædecessorum quandoque innouare, ac innouata confirmare, & Apostolico muni-

mine roborare, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane duorum Fel. record. Iulius Papa prædecessor noster Motu proprio duellorum, & gladiatorum vsum per suas litteras damnauit, & improbauit, ac in terris S. R. E. mediatè, vel immediatè subiectis per quoscunque quauis auctoritate, & potestate, ac nobilitate fulgentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ex quacunq; causa etiam à legibus permissa, fieri omnino prohibuit.

Quasquidem litteras postmodum piæ mem. Leo X. prædecessor noster, & secundum carnem frater patruelis, & pro illarum maiori robore per suas litteras cum litterarum Iulij prædecessoris huiusmodi de verbo ad verbum insertione innouauit, prout in eisdem litteris, quorum præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus plenius continetur.

Omittitur hic illarum litterarum tenor, quia habuimus supra in constitutione Leonis X. & Iulij II.


NOS igitur cupientes litteras prædictas pro Christi fidelium animarum, & corporum Salute, ac tranquillitate inuiolabiliter obseruari, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine litteras prædecessoris huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes illas cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis plenum firmitatis robur obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari; & per executores in illis deputatos aduersus contrafacientes ad executionem pœnarum procedi debere. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores in dictis eorum voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, communitionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo secundo, quarto Idus Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

CONSTITVTIO PII IV.

Quæ est XXV. in ordine in Bullario.



Pius seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



EA, quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus suadentibus legitimis causis emanarunt, libenter approbationis, & innouationis munimine solidamus; vt eò firmius illibata perdurent, quo sæpius fuerint Apostolica auctoritate munita illaquè de nouo statuimus, & ampliamus, prout rationabiles causæ persuadent, & hoc in Domino conspicimus salubriter expedire, Dudum siquidem à Fel. record. Clemen. Papa VII. prædeceßore nostro emanarunt litteræ, in quibus nonnullæ aliæ inseruntur tenorum sequentium.

Horum tenor omittitur, quoniam eum habuimus supra in adduct. constitutionibus Summorum Pontificum.

Cum autem sicut nobis innotuit quamplarimi Duces, Comites, Marchiones, Domicilli, Barones, & alij in temporalibus Domini, Vicarij, Communitates, & Vniuersitates Ciuitatum terrarũ, & locorum eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum, nonnullique alij singularia certamina exoptantes, & alij etiam, vt præfertur, subiditi illa videre cupientes suorum statius salutis, & honoris immemores litteris prædictorum huiusmodi cõtrauenire, & censuras, ac pœnas in illis contentas parui pendere nõ vereantur, in animarum suarum perniciem, & diuinæ Maiestatis offensam, ac Reipublicæ læsionem. Nos, quorum est sceleratorum insolentijs, quibus aduersus Deum, & proximum, ac dictæ se-

dis auctoritatem veluti Catholicæ professionis inimici seruiunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum inualescat præsumptio, & peruersitus extollatur intendere, & ne litteræ, prædictæ, quæ prouida deliberatione ab ipsis prædecessoribus emanarunt, contemptibiles reddãtur, sed illarum trãsgressores debita animaduersione puniãtur, prouidere volentes, Motu proprio non ad aliquorũ nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia singulas Iulij, Leonis, & Clementis prædecessorum prædictorum litteras cum statutorum, ordinationum, adiectionũ, decretorum, declarationum, confiscationum, incorporationis, applicationis, voluntatum, & mandatorum, ac omnibus, & singulis alijs in eis respectiue contẽtis clausulis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore subsistere, & singulos, quos litteræ ipsæ concernunt, & concernẽt sub excõmunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diffidationis, criminis læsæ Maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, & priuationis statuum, & dominiorum, ac feudorum, & Vicariatuum, ac aliorum bonorum, ac depositionis illorum, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac interdicti ac alijs censuris, & pœnis ecclesiasticis, & temporalibus, alijsque in eisdem litteris contentis, quas contrauenientes eo ipso incurrant, & intestabiles fiant, ac vltra pœnas prædictas carceribus mancipari, & detineri, & pœnis prædictis irremissibiliter puniri debeant, perpetuo obseruari, & per executores in dictis litteris deputatos aduersus eosdem contrafacientes ad totalem executionem dictarũ pœnarum procedi debere decernimus.

Illosque tam ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id tentantes, & prouocantes, aut locum, seu campum, ad pugnãdum dantes, seu cõcedentes, ac in illis astantes, & interessentes, ac certantes, comitantes, & comitiuam præstantes, nec non consulentes, ac adhærentes, & fautores, nec non chartas certaminis, seu duelli subscribentes, vel affigentes, aut publicantes, etiam si prædicti, seu cuiuscunque alterius dignitatis, nobilitatis, status, gradus, & ordinis tam ecclesiasticæ, quam mundanæ existant, etiam ad hoc, vt ipsi vltra pœnas prædictas excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnam, à qua non nisi à nobis, seu à Romano Pontifice pro tempore existente absolui possint, & ipsi incurrant: & si ecclesiastici fuerint, etiam

omnibus, & singulis Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, & alijs beneficijs ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, & ad quæ ius eis competit, eo ipso priuati, & ad illa, ac alia in posterũ obtinenda inhabiles existant, nec non illa tanquam per priuationem huiusmodi vacantia ab aliis impetrari possint extendimus, & ampliamus, & nihilominus præmissa omnia, & singula prout per Iulium, Leonẽ, & Clementem prædecessores præfatos statuta, & ordinata inhibita, decreta, & mãdata fuerũt in omnibus, & per omnia de nouo statuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus, ac mãdamus.

Ac omnes concessiones duellorum huiusmodi, & facultates desuper prædictis, seu alijs quibusuis personis per quoscunque Romanos Pont. prædecessores nostros sub quibusuis formis, & verborum expressionibus forsan concessas, & approbatas, & innouatas horũ serie reuocamus, cassamus, & annullamus; & insuper cupientes illa, & tam detestabilem pugnantium, & aliorum loca ad pugnandũ, ac alias in præmissis fauorem præstantium, & denique tanti sceleris fautorum nequitiam non solum in terris & locis eidem Romanæ Ecclesiæ, vt præfertur, subiectis, sed alias vbilibet penitus exprimi, & aboleri, ac singulorum Christi fidelium animarum periculis obuiare, per viscera D. N. Iesu Christi rogamus, & obtestamur vniuersos, & singulos totius orbis Imperatorem, Regẽ, Duces etiam armorum, Marchiones, Barones, cæterosque Principes Christianos, nec non dominia, potentatus, Communitates Ciuitatum, ac vniuersitates oppidorum, castrorum, terrarum, & locorum quorumcunque illorumque in temporalibus dominos, ac etiam militum tam equestrium quam pedestrium Capitaneos, & Præfectos etiam tẽporali ditioni ipsius Romanæ Ecclesiæ non subditos, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, nobilitatis, ac præeminentiæ fuerint, vt diuini nominis intuitu, & pro sua in nos, & hanc sanctam Sedem Apostolicã deuotione, & reuerentia, nec non fidei cultu, & conseruatione, ac animarum eorum, qui huiusmodi duella diabolica fraude decepti perquitunt, salute, dicta duella, seu alia singularia certamina in suis regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Baroniis, Dominiis, terris, & locis, nullatenus fieri permittant, imo ne fiant expresse prohibeant, & dissuadeant, districtius præcipientes eis, ne vllo vnquam tempore huiusmodi duella seu certamina quouis prætextu, seu quauis occasione, vel causa admittere, aut aliquos ad id irritare, seu prouo-

prouocare, vel interesse, aut vt fiant pati, seu permittere audeant, vel præsumant, alioquin eos, & etiam extra terras, & loca ditioni Ecclesiæ huiusmodi non subiecta, duella, seu singularia certamina huiusmodi, aut diffidationes desuper facientes, & ad id irritantes, prouocantes, & auxilium, consilium, vel fauorem dantes, ac illis astantes, & interessentes, & similiter chartas desuper subscribētes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, eorumque ac ipsorū singulos ab Imperatore, & Regibus inferiores maioris excommunicationis, & vltra eam si ecclesiastici fuerint priuationis, & inhabilitatis pœnis prædictis subiacere, illasque incurrere, & ab eis præterquam à nobis, seu dicto Romano Pont. pro tempore existente, vt præfertur, absolui, aut aduersus illas restitui, seu rehabilitari non posse; neque debere decernimus, & declaramus.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores, & singuli eorū litteris, prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, mandati, præcepti, reuocationis, cessationis, annullationis, rogationis, attestationis, decretorum, ac declarationū infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1560. Idibus Nouembris Pontificatus nostri anno primo.

DECRETVM CONCILII TRIDENTINI SESS. XXV.

de reformat. cap. 19.

DETESTABILIS duellorum vsus fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint

eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & Domino Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, priuati intelligantur; & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur.

Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxta Sacros canones puniri debeant; & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura.

Illi etiam, qui consilium in caussa duelli tam in iure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quenquam suaserint, necnon spectatores excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; Non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine etiam immemorabili.

CONSTITVTIO GREGORII XIII.

quæ in ordine est 87. in Bullario.



Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



AD tollendum detestabilem duellorũ vsum Concilium Trid. excommunicationem, & alias pœnas grauissimas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnantes, nec non patrinos, consulentes, suadentes, & spectatores salubriter quidem decreuit, sed crescente hominum malitia facinorosi non desunt, qui, quod publicæ prohibitum est, priuatim exequi non dubitent, dum se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur. Nos ad hæc coercenda plenius, euidentiusque prouidendum esse rati, considerantesque duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium esse, quam quod publicæ perpetratur.

Aucto-

Auctoritate Apostolica statuimus omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etiã si nulli patrini, socijve ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint Censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri perinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamen iniuissent.

Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex cõdicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quouis modo se se præbentes eisdem censuris, & pœnis subiacere; etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserunt, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur.

Non obstantibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, cæterisque contrarijs quibuscunque Cõstitutionibus tamẽ & alijs sanctionibus Apostolicis hac de re disponẽtibus in suo robore duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1582. No. Decembr. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

FINIS.

